CEV, IN IACOBI, MAG-
NÆ BRITANNIÆ FRANCIÆ,
ET HIBERNIÆ REGIS SERENIS-
SIMI, &c. AVSPICATISSIMVM
REDITVM E SCOTIA IN
ANGLIAM, ACADEMIÆ
OXONIENSIS GRA-
TVLATORIA.

OXONIÆ,
Excudebat *Iohannes Lichfield & Gulielmus Wrench,*
Ann. Dom. 1617.

IACOBI PATRIARCHÆ, CVM IACOBO REGE, ET ITINERUM VTRIUSQ; COMPARATIO.

EXprimis, vt, Regem (*Patriarcha Iacobe*) Jacobum?
Quamq; estis pariter, nomine, regq; pares?
Tu Patriæ Pater, & patriæ Pater iste; Britannûm
Ille Pater, populi tu, Patriarcha sacri.
Tu procùl à patriâ profici scris; Ille supremas
Arcadas, ac gelidum visit, aditq; Polum.
Causa vtriusq; viæ, Pietas; tibi auunculus, illi
Mirus amor populi, & cura paterna, sui.
Tu, via dùm carpenda, voves; vovet iste; Jehovam
Tu tibi, & hunc ipsum, Noster, *habere* Deum.
Ambo Deo curæ; salui redijstis vterq;:
Votiva *hæc,* Reduci *seruiat,* Ara, DEO.

IACOBI ARA.

MVsarum applausus, quos læta Academia fundit
Accipe, sed facilis (Rex pie) more tuo;
Illa piis precibus, tua Regia castra sequuta est,
Sæpiùs ingeminans, hei mihi, quando redit?
Nunc Reduci, quas non violas, non Lilia sparget,
Vt lætus redeas, & redijsse juvet?
Incaluere Senes, Iuvenum vox fertur ad auras,
It Cœlo clamor, Rex redit incolumis:
Ergo: Grata, Deum merito celebrabit Honore,
Longáq; sit Regi, & vita beata, petit.

Sereniſſimæ Maieſtatis Tuæ
humillimus Servus,

GVIL. GOODWIN. S.T.D.
Ædis Chriſti Decanus.

Academiæ Tuæ Oxonienſis
Vicecancellarius

IACOBI ARA.

Tituli, ſive inſcriptionis ratio.

ARA *quid, &* Flammæ? *Rurſum an* Synagoga *re-*
An poſtliminiò Roma *fugata, redit?* (*vixit?*
Scilicet hoc fatui vaniſſima murmura vulgi;
In promptu, hoc, Momus *quod reprehendat, habet.*
Ioſh. 23. 16. *Sic* * ARAM *Reubenitis, Gadÿſq;, Manaſſæq;*
Obÿciunt reliquæ, (At quâ ratione?) Tribus.
Ioſh. 23. 19. *Saniùs aſt Illi: Nobis procul omnibus* * *abſit,*
Vt vitient puras Ethnica ſacra manus.
Sic nos, pro nobis: Abſit, revocemus vt ARAS
Seu Judæa *tuas, ſeu nova* Roma *tuas.*
Hîc res; hîc typus eſt: Pietas Academica, *res eſt;*
At typus, accenſis Ara *coruſca* focis.
Nempe pÿ cordis gratiſſima thura ſacramus,
Pro Te, *pro reditu* (*Magne* Jacobe,) *tuo.*

Non secus, ac terram, Phœbo omniparente relictâ
Flatibus Arctoïs obriguisse vides;
Quæ, postquam alterno sol vultu inviserit Vrsam,
Feruet, & inde novis ignibus aucta viget:
Sic quibus alma tuo, lux, est ablata recessu,
Hos reditu, credas, incaluisse tuo.

FRANCIS BRADSHEW
S.T.D. è Coll. Magd.

NOli *Pimpleas*, mea musa, rogare *sorores*,
Vt tibi succurrant. Scribe, age, *Marte tuo.*
Pange melos festum; nec te labor iste gravabit,
Quùm sis *Iſiacis* ludere docta *modis.*
Grata salutato *Regem*, de gente reversum
Arctoâ. Angligenæ, solvite corda jocis.
Quem fera *Papicolûm* gens, dirâ fraude volebat
Cum totâ infandæ dedere *stirpe* neci,
Hunc (ô fœlices!) nos post duo lustra, bienne
Et spatium, rutilans fundere ab ore jubar
Cernimus. *Hunc* patriæ, *hunc* Musis, *hunc* relligioni
O, serva *Regem*, Christe benigne, *tuum.*

SEBASTIANVS BENEFIELD, *S.T.D.* &
Professor publicus pro D. MARGARETA,
Comitissâ Richmondiæ, *matre Regis*
HENRICI Septimi.

NOn tanquam officio languens, aut transfuga ve-
Aulam deseruí (summe Monarcha) tuã. (lox,
Sed reditum Domini expectans, præcurrere vellem,
Rursus & officijs obvius ire novis:
Et cum alij lætis animis Saluere juberent,
Lætitiæ optabam me quoq; parte frui:
Sive abeas, redeas, mea semper vota sequentur,
Vt faustè hinc abeas, Faustiùs vt redeas.

GVIL. LAVD, *S.T.D. Sti Io. Bapt. Præs.*

In Fœlicem Serenissimi Regis nostri Iacobi
è Scotiâ Reditum.

ECcè iterum de te certant (*Iacobe*) sorores.
Illa & *Mandragoras*, jactat & illa suas.
Dumq; parant *Thalamos*, hinc *Anglia*, *Scotia*, & illinc,
Tu medio recubans, jungis vtramq; toro.
Fœlix conjugium, quo sic distracta cohærent;
Vt Satanas tantùm, quod modò carpat, habet.
Ergo pijs votis vnita *Britannia* Clamet,
Sic abeas, semper lætior vt redeas.

IOH. PRIDEAVX, *S.T.D. Professor*
Regius. Ædis Christi Præb.

Gen. 12.4.5.9. SIc ABRAM, Natale solum, Patriosq; Penates,
Cœli *promissis divite*, mutat, Agro:
Vt sibi, prę *Scoticis*, monitu, REX Magne, superno,
Adscierant Numen Regna *Britanna* Tuum.
Gen. 13.v.3.4. Exemplo parili, PATRIARCHA recessit ab *Austro*;
Et *veteri Altari* pristinus ardet honos;

Aq;

Aq; *Tuâ*, Populus *Proprius*, pietate, monendus,
Præsentem didicit *Nunc* habuisse Deum.
Inde Redux, oculis tandem *circumspice* gratis, V.14.
Quà mare, quà tellus, quà *Tua* Regna patent;
Quàm, *Tibi*, sint Populi, nullo jam fine, beandi,
Cui Devs auspicio, *Cui* typus est Abraham. V.16.& c.12.
Illius in *Semen*, crescet *Tibi* sera *Nepotum* V.23.
Majestas: *Illis* Pax dabit alma Fidem;
Teq; Alienigenæ recolent, *Tibi* Gentis honores,
Et purum, referent, *Relligionis* opus.

Th. Anian, *S.T.D. C.C.C. Præses.*

Serenissimo Regi Iacobo *è Scotiâ in Angliam redeunti. D. D.*

ILle ego, qui *Lyrico* cecini modulamine, dudùm,
Juncta Caledonio Sceptra Britanna throno:
Qui populi ardorem Angliaci, & pia vota, precesq;
Intenti in vultus (*Magne Iacobe*) tuos:
Nunc iterum affectus, desideriumq; tuorum,
Gratantúmq; tibi gaudia sola, cano.
Nunc reduci è patriâ, in patriam, confectaq; tandem
Gratulor immensæ, tædia longa viæ.
Qualitèr, à Troiâ, post jam duo lustra, revectos
Accepit reduces, Græcia læta, Duces:
More, suum, simili, nunc excipit Anglia Regem,
Ceu profugum à proprio, bis duo lustra, solo.
Luna suos, nondùm bis ter remeavit in Orbes,
Nec fecêre parem Libra, Ariesq; diem;

Nos

Nos annos querimur, Nos Sæcula. Ringimur Angli,
Nec patimur modicæ, tædia ferre, moræ.
O quantùm festinat Amor? quamq; impiger, errat,
Præ desiderio, tempora longa putans?
(*Delitiæ Angligenum*) reduci tibi Patria debet,
Quòd facies lentos, lætius ire; dies.

Ad ipsum, vt reditum acceleret.

(*Custos Britannæ gentis, & Anglici*
Tutela regni maxima) cur abes,
Sancto Patrum, sic expetitus
Concilio, populoq; toti?
Adhuc moraris? nec celeras gradum
Lentus? popelli nil miseret tui,
Suspensi, & efflictim ambientis
Principis intuitu beari?
Ex quo, Serenum tu Patriæ tuæ
Vultum abstulisti, luce caret suâ:
Diu negatum, ah, redde Solem,
Redde tuis radios priores.
Qualem, solutis frigoribus, diù
Desideratum, de Tropico algido
Nunc appropinquantem, salutat,
Terra parens rediviva, Phœbum,
Qualemq; sentit: Talem, & ab vltimis
Septentrionum finibus, hospitem
Approximantem, nunc salutat
Anglia, nunc recipit *Iacobum*,
Talemq; sentit. Cernis, vt omnia
Lætentur ipso sospite, vt omnibus

Vis

Vis reſtituta, vt jam, recepto
Vita, vigor redeant, *Iacobo?*
Abſente non ſic; non peregrè Arcticis
Agente in oris; Singula marcido
Squalore languebant, fugato, vt
Sole, Heliotropion relanguet.
Nunc bos quietus prata perambulat;
Nunc hœdus, agnis miſtus inermibus,
Ludit petulcus; nunc colonos,
Ampla ſeges, dominoſq; ditat.
Non buccinarum nunc ſonus, horridùm
Non aſſuëtis auribus, intonat;
Non Gallus infeſtat, nec Anglæ,
Cantaber, exitium juventæ.
Pax alta, noſtris incubat vrbibus,
Paciſq; proles, Copia. Nunc ſuâ
Sub vite, ſub ficu recumbit
Quiſq; nec inſidias veretur.
Debentur hæc (R ⁊ x) auſpicijs tuis,
Te, te ſequuntur; tu facis otia
Hæc tanta, præſens; Tu, bonorum,
Ipſe abiens, abitum minaris.
Longas, Britannis, O igitur, tuis,
Nec terminandas, reddito ferias;
Hoc omnis ordo, ſexus, ætas,
Vnanimes, humiles precamur.

Angliæ cum Scotiâ de Repetundis, Actio,

Quæ tibi commiſſum, debes mihi (*Scotia*) *Regem*,
Nec ſat habens, vltra tempora pacta, tenes,

Mitte, nec vlteriùs tibi credita gaudia, differ,
Dimidium vitæ, sed, mihi redde, meæ.
Mitte, inquam, neq; necte moras, nec amoribus, illud
Amplexuve, meus ne videatur, age.
Nonne satis fuerat, teneræ, incunabula vitæ,
Infantem, intra vlnas absoluiisse tuas?
Nec satis hoc etiam, ter denis ampliùs annis,
Præsentem, populo jura dedisse tuo? (nos,
Nunc mihi, quindenos cum nondùm impleverit an-
Præ ipis? atq; à te, tam diù abesse doles?
Invida, redde, vices, alternaq; tempora Regni,
Lustraque, pro denis, altera dena, tuis;
Tunc ego communi tecum vtar jure, pariq;
Nec soror, à cupidâ, damna, sorore, feret.
Sic erit, vt pariles præstet, præsitq; vicissim,
Seu meus ille tibi, seu tuus ille mihi.
Sin minùs hoc tibi dico diem. Sis, (*maxime Regum*)
Diribitor litis, qui priùs Autor eras.

Sic ego zelotypas vidi contendere nuptas,
Indociles socij vulnera ferre thori.
Impatiens consortis amor; partitur amores
Nemo, nec hoc, solùm Græcia, crimen habet.
Parce tuis, de te sic altercantibus, ardent;
Quæ magis, illa magis: quæ minùs, illa satis.

GVIL. BALLOWE. *S.T.D. Ædis Christi Præb.*

DVlce decus patriæ, Musarum magne Patrone,
Regum, doctorum Maxime, gratus ades.

Quum

Quum velles noſtris, procùl hinc ſecedere ab ôris,
Notaq; jam peteres regna, laremq; tuum:
Cùm votis, timidi, trepidi, dimiſimus omnes,
Res eſt ſolliciti plena timoris amor:
Fingere mox triſtes, infauſta timere, ſalutem
Sæpè optare tuam, ſæpè rogare Deum.
Et ſanctæ valuëre preces: iterumq; Penates
Tutus, (& ô poſſis ſæpè videre!) vides.
Vive diu, fælix, ſoſpes; faciliſq; beatum
Det Deus hìc populo Te ſupereſſe tuo.

BARNABAS POTTER, *S.T.D. & Coll. Reg. Præpoſ.*

Ad Regem de Reditu eius in Angliam.

A nobis ad nos properas, Rex magne, quid hoc eſt?
Atq; Tuos paritèr deſeris, & ſequeris;
Scilicet hâc methodo Servorum nomina creſcunt,
Atq; hâc arte Tuos bìs facis eſſe Tuos;
Aſpice quid tandèm Nobis abſentia præſtat;
Illud ſæpè ſumus, quod licet eſſe ſemèl.

Ad Eundem.

Quòd modò ver duplex ſentis, primumq; ſecundo
Conficis, inq; Tuis finibus iſta vides,
Æſtatesq; duas, vho conſpexeris anno,
Omen habes ſummi principis, atq; Dei.
Nam procùl à cœlo non eſt; Deus eſt minor Ille,
Qui novit ſoles multiplicare ſuos.

Ad Eundem.

Dùm gentes,populumq́; Tuo cum numine luſtras,
Maior et ad patrios Lar venis Jpſe,lares,
Quale decus rerum Oxoniæ? Quid triſte theatrum
Muſarum ſonuit? vox fuit vna,Redi.

Ad Eundem.

Poſt Patriam in terris viſam,Patria vltima cœlum eſt,
Serus in hanc Patriam ſed rogo,certus eas.
Nam Cœlis benè regnatur,benè viuitur illìc,
Non opus Imperio eſt Ingenioq́; Tuo;
Rege viro nobis opus eſt, & Principe docto,
Qui dare Jura poteſt, qui data ferre velit,
Qui cum Cauſidicis potuit certare loquendo,
Scribendo Scribas vincere, Roma,tuos;
Cujus in Auſpitijs læta vrbs,Academia tuta eſt,
Aula,Forum nudâ ſimplicitate patent;
Ergò diù in Terris maneas,populoq́; ſuperſis,
Serò adeas cœlum; Terra relicta Tibi eſt.

RIC. CORBET *S.T.D.*
ex Æde Chriſti.

Ad Regem, quod ſolem in curſu ſuperaverit. Carmen.

LIs agitur,phœbumq; inter, dicumq; *Iacobum*,
Deſcriptum,citiùs quis renovaret iter:
Ingens(Phœbe)tibi cœleſtis ſignifer, ingens
(Rex)tibi terreſtris,corripiendus erat,

Inq;

ub veris ini-
ium menſe
Martio.

Inq; viam sese ambo dant, vbi cœlifer Atlas
Aurea phryxeæ, vellera signat ovis;
Scilicet & Caprum, & curvantem brachia Cancrum
Axis (Phœbe) tuus, propter agendus erat,
Sic quoq; Londinum per, Edinburgúmq; remotam,
Vtraq; (Rex) curru, meta notanda tuo.
Vix persultabant, libræ momenta, bilancis
Solis equi, quum jam septima luna subit
Nec reducem aspexit fratrem, quum septima Regem
Luna eadem reducem, vidit, & incolumem.
Quis dubiter, tanto (Rex) te, cunctantior ille est,
Cui quod adhuc peragret, dimidium supereſt.

Regiæ profectionis quasi tropici.

Sub autumni initiũ mense Septembri.

Altera Zodiaci semissis, à libra, ad arietẽ

Ioh. Budden, *Iurisconsultus & Professor Regius.*

Chronogrammata Anni.
MDCXVII.
Is MVs Is DeCVs, PatronVs.

A Quo, Regnorum sumpsit Rex magnus habenas;
Non annus, quo non plurima magna facit.
Is MVs Is DeCVs est, Patron*V*s & optimus; Illis
Composuit lites, & pia jura dedit.

ReX bonVs aDIt SCotIa M.
MDCXVII.

ReX bonVs, & multis regnis, in commoda natus,
Ipsus *aDIt SCotIa M*, regia multa facit.
Multo cum sumptu, studio, pietate, labore,
Ordinibus cunctis, justa decora dedit.

OXonIæ MeDICVs.

MDCXVII.

OXonIæ MeDICVs, Medicinæ nempe Facultas
Te reducem geſtit; ſic quoq; quæq; Toga.
Et Templo & Regno, Populo, Gentiq; togatæ
Quò benè tu facias (OPTIME) quoq; diu;
Sanos & multos annos (REX MAXIME) votis
Exoptat ſummis *OXonIæ MeDICVs*.

THO. CLAYTON, *Med. D.*
& Profeſſ. Regius.

EN, exeunti quod Tibi vovimus,
Iacobe, ſacrum! non pecudum greges
Non vina, non merces Sabæas,
Cœſa bôum neq; colla centũ:
Sed, quæ ſereno, carmina, pectore
Deprompta manant: & numeros leves,
Chartaſq; libatumq; puris
Caſtalium manibus liquorem,
Votum piarum ô ſuſcipe mentium!
Sparſamq; nigro ſanguine victimam
Dignare pacatus tueri,
Inq; tuis numerare ſacris.

Emiſêre tuo jejunia publica Regno;
Excipiant reditus, publica feſta tuos.

Non

Non queror, abfueris quod tot, *Iacobe*, diebus.
Publicus, at nimiùm ruſticus ille dolor.
Nocte quòd abfueris vnâ, mea juſta querela eſt;
Nempe à diſceſſu *nox* fuit *vna* tuo.

IOH. HARRIS, *Acad. Procurator & Nov. Coll. Socius*.

De Regis Iacobi, *in Scotiam, itinere. Hendeca ſyllabi*

DIſceſſus tuus iſte, (*Magne Princeps*)
Et migratio Scoticas in oras
Quanta, & qualia præſtitit, videto.
Res, rerumq; vices, & ordinatam
Naturæ faciem, tuis Britannis,
His Auſtralibus, Arcticis & illis,
Invertit penitùs, novamq; fecit.
Nos, qui ſydere fauſtiore nati,
Ad ſolem propiùs ſiti, calemus,
Algemus ſubitò, & tepore primo
Deceſſiſſe aliquot gradus videmus.
Non ſic germinat hortulus, nec agri,
Non herbæ, ſegeteſve, plantulæve,
Nec quicquid vegetat, calore dempto,
Nativos modò concoquente ſuccos.
At, quà tu graderis, rigentiore
Quamvis Climate, proximéq; ad Arcton,
Primævas glacies tepere ſenſim,
Nativáſq; nives liquêre cernas.
Rident ſingula, germinant, virentq;
Horti floribus, herbulis, agelli,

Vvis

Vuis vinea, plantulíſq; ſylvæ. (illis
Quænam hæc ô, metamorphoſis; quid
Acceſſit ſubito, excidítq; nobis?
Anne alter Ì haëton, rotæ paternæ.
Spreto tramite, & inſcius viarum,
Curtas, lampade, viſitavit, vrſas?
Calfactæq; iterum, ignibus ſecundis,
Iram, & ſibila duplicavit Hydræ?
Aut illâc, Canis erro, tranſmeavit
Telluremq; novo recoxit æſtu?
Quid ſit, neſcio, ſed fuiſſe quiddam,
Alternata viciſſitudo rerum,
Converſęq; vices loquuntur Anni.
(Præſtantiſſime Principum Iacobe)
Fas ſit dicere, fas ſit augurari,
Hæc tu mira facis, faciſq; ſolus,
Tu, quacunq; meas, beantur omnes,
Cumq; averteris, vndecumq; lugent
Te, Scoti caluere, teq; Picti
Vicino, interea tenebat Anglos
Frigus debile, proximumq; morti.
Ah, tandem, à Tropico tuo redito
Sydus nobile, prævium q; Cœlo,
Curſus mitte vagos, reſume fixos,
Æternúmq, tuis micâ Britannis.

Ad Regem.

Et facis, & ſenſi; ſubitus calor ingruit Anglis,
Et, quaſi jam nato, ſingula, vere tepent.
Ipſe tuos, aliàs frigens, *(Rex Magne)* calores
Hauſi, & me vatem, hæc *Entheaflamma* facit.

NIC. LANGFORDVS, *M.A. ex Æde Chriſti.*

DE SCOTIS ET ANGLIS SIBI INVICEM

Antœcis, à Muro Picticovelut Æquatore divisis. Sole Iacobo meridianum vtriusq; gentis simul irradiante, & declinatione sua cis vel citra murum Picticum, varias rerum vices efficiente.

ANtœci *oppositæ* sunt gentes, *diuidit* illas
Æquator, partes & facit esse *duas*.
Culminat his idem *Sol*, lustrans tempore *eodem*
Vtrosque, & medius *lumen vtriq;* facit.
Vnde his *vna dies*, *nox* est simul *vna*, sed istis
Æstas opposito & tempore, *bruma* venit.
Nos sumus *Antœci*, quis enim neget, vtraq; leges
Gens habet oppositas, & regimen proprium.
Et velut *Æquator* medios nos dividit *agger*,
Quos sic divisos *vnius* aura fovet,
Iacobus Rex qui tanquàm *Sol* aureus, ambos
Lumine stellanti perpetuoq; regit:
Catnesi fines, *Rutupinaq;* littora longè
Prospicit, hos, illos *irradiansq;* simùl,
Australes *Britones*, quicquidvè interjacet *Arctos*,
Lustratur radijs inclyte *Phœbe tuis*.
Vna *dies* vtrisq, simul regnante *Iacobo*,
Sole cadente tuo, *nox* erit *vna* simul.
At licèt *vna dies* sit nobis, vna *eadem nox*:
Tristis in *opposito* tempore sæuit *hyems*.
Alternæq, vices rerum, cœlique Britanni,
Obliquis radijs quas modò *Phœbe* facis.
Experti loquimur, fulgor, vultusq, serenus
Nos vbi destituit, qui fuit ante tuus;

Destituit nos vnà *æstas*, cœlumq; serenum,
Et quicquid pulchrum floridus annus habet.
Excepere simul nubes, & squalor, & imbres
Assidui, & mœstis tristior aura fuit.
Quando illi intereà tua quos præsentia (*Cæsar*)
Dignata est, festos quot tenuere dies.
Quàm suaves epulas, ludos, spectâcla, triumphos,
Lætitiam, vultus te *radiante* suos.
Verum vbi jam nostras *Phœbus declinat* ad oras,
Flat Zephyrus, venit & blandior inde tepor,
Autumnus quasi *Ver*, nubes pelluntur *Olympo*,
Jam rursùs cœlum gestit, & aura nitet.
En animos nupèr dijectos, laucia corda,
Aspectu primùm jam rediviva tuo.
Nos vbi te reducem (*Rex*) incolumemq; videmus,
Salve, quam læto murmure quisq; sonat.
Hi donis certant, votis hi, versibus illi,
Et proceres, & plebs officiosa ruunt.
Illis econtrà, tua quos *præsentia* liquit,
E quibus & *radios* subtrahis (*alme*) tuos,
Vastities venit, & torpor, *brumæq;* rigores,
Lugent decessum, lœti abiere *dies*.
O longùm maneas nobiscum, *hyememq;* repellas,
Perpetuam *lucem* lætitiamq, ferens.
Subq, tuis *radys* vt jam læta *Anglia* floret,
Floreat æternùm, *Sole micante* precor
Psal. 19. 6. E thalamoq; suo *Sol* tanquam *sponsus* vt errat,
Ad cursum exultans, indomitusvè *gigas*,
Egredere è solio *fœlix*, & perfice cursum,
Quem tibi signavit, dispositq; *Deus*.

ROB. BVRTON, *S.T.B. ex Æde Christi.*

IVBILVM PALATINVM
à Pallade PALATINA

Magno illi HEROI, *& vnico Anglorum Apollini*
IACOBO I. *ex Scotiâ ſuâ Reduci,*

Conſecratum & votum.

REX redit; ô redeat! ſatis eſt pluitaſſe, receſſit
Imbridus *Auſter*, adeſt *Eurus* Hic Angligenis.
Anglus erat *Scotus*, cûm Scorvs Apollo relinquens
Anglida, *Scotorum* viſeret ipſe σκότος;
Nvnc σκότος eſt *Scotus*: cur? Phoſphorus *alba* petivit
Regna iterum; obſcurum quûm tibi, *Scote* σκότος?
Sis *Scotus*; aſt Anglus fieri incipit *Angelus*: eccur?
REX noſter nobis incipit eſſe *Deus*.
Incipit eſſe? ſed eſt, fuit æternúmq; manebit,
Vſq; PALATINÆ gloria ſtirpis erit:
Dúmq; meo *Patri* FRIDERICO *Filius*, & dum
Hic Tibi ſit dignus Magne IACOBE Gener.
Salve digne Dei *Benedicte*, ROSETIFER, Anglûm
LILIGER, *vncte Dei*, quid magis eſſe putem?
Omnia nunc dixi: nil dixi: ignoſce canenti,
REX Pie, nam Tibi plus pagina ſacra dabit.

VATICINIVM APOLLINEVM EX SAcro verbi *Divini* Tripode, *in honorem prædicti* Regis *prolatum.*

Vnà cum Anagrammate.

{IACOBVS STVARTVS.
{*Sub ocia Tu sartus.*

31.	I	ngredere ô *Benedicte Dei*, *Rex Vncte Tonanti*	S	1.Sam.24.7
17.	A	*ngele*, *Lux* Anglûm, quam dia potentia misi	T	2.Sã.21.17.
8.	C	hara tui Christi *pupilla*, atq; inclyte vult	V	Psal.45.3.
3.	O	ĉle *Dei*, populiq; tui *ferrata Column*	A	Ier.1.18.
.	B	*uccina* SIONIS, *Solis* nitidissime *fulgo*	R	Eccl.50.7.
.1.	V	ir DOMINI, *Florum Flos*, *fulgide Liliger*, *Arx*, e	T	Cant.2.1.
4.	S	*ervator* populi es, semperq; *sub ocia Sartu*	S	1.Chr.22.9.

Χαραπλήρει animo à
FREDERICO DORVILLIO, *Palatino-Germano Sac.Th.Bac.Coll.Exon.*

EXtremas postquam regni lustraverat oras
Protinùs intravit viscera, Cæsar ovans:
Pande Thalia sinus: redeunt modò viscera nobis
Crede mihi numen spiro (*Iacobe*) tuum.

Transit Hyperboreas *Princeps* invictus arenas,
Sed non imperij transilit arva sui:
Fælix imperium quod vento clauditur omni,
Hàc notus, hàc boreas ducit, vterq; domum.

Deseris

Deseris Arctoæ gentis spectacula (Cæsar)
Quà Venit in prædam desuper vrsa micans.
Nam quì *Cæsareum* deceat fera sæva triumphum?
Aptior ingenio cervus aperq; tuo.
Euge pharetratâ Princeps comitate *Dianâ*.
Nunc vaga musarum retia conde jugis.
Hàc *Charis*, hàc denso circum volat agmine *Pallas*,
Et damis similem fundit Apollo gregem.
Quot subeunt patres toridem sectabere cervos,
Quorum regalis pectora fixit amor.

De morâ apud Scotos.

Quid tibi cum *Scythica* nive, cui præcordia fervent;
Igneq; *Vestali* pectoris ara calet?
Vt rigeant, gelidę mulcent candore pruinæ.
Hinc inter *Scythicas* tam mora longa nives.

Dicta priùs *Scotiæ* regio Σκότος (*inclyte Cæsar*)
Dicatur radio protinùs orba tuo.

De loco Solis in Zodiaco.

Virgineas repetis (*Princeps Anguste*) *Camænas*.
Cum Sol virgineo sydere lucet, ave.

De magnifico aquæductu in adventum regis extructo.

Dicite Pierides nunc venâ divite, vobis
Fonte *Nicolsonus* proluit ora novo.

Ὄρχαμος εὐρυμεδὼν ἀνὰ ἅρματα ποίκιλα βαίνων.
Ἦλθε παλιγράμπτοις ἀμφιβόητος ὁδοῖς.
Ἀσπάζεσθε Διὸς θυγάτρες γλυκυπάρθενοι ὕμνοις
Οἰσάμενοι κρατερῷ ἄγλαα σῶστρα θεῷ.

Io. WALL, *ex Æde Christi, in Art, Mag.*

Cor regni cùm sis (*Rex Magne*) & sanguinis instar
Imperij, populi, vita, medulla tui:
Quid mirum extremas dum cor migravit ad oras
Frigidus in toto corpore sanguis eat? (ras
Non pedibus manibusve est vitæ regia sedes,
Membrorum in medio sed cupit esse loco,
Quò velut ex æquo, cunctos fundatur in artus
Perpetuo hinc cursu spiritus, inde fluens.
Ergo Caledonijs quod tam fælicitèr oris
Veneris in proprios (*Magne Iacobe*) lares:
Ecce novos animos, geminasq; resumere vires
Incipit aspectu plebs rediviva tuo.
Et quoniam Arctoi dira inclementia cœli est,
Dignoq; hospitio, principe, bruma caret:
Æternùm hic maneas fælix, placidoq; sub Austro
Nestoreos (si fas vincere) vince dies.

TH. WILLIAMS, *Art. Mag. ex Æde Chr.*

SCotia quem nuper tibi credidit Anglia Regem
Hunc salvum reddis rursus, & incolumem.
Scote, tibi grates quia reddis, debeat Anglus.
Angle, tibi Scotus, tu, quia credideras.
Vivite sic fratres justi. Pro Principe salvo
Et vos salvifico solvite vota Deo.

IO. DROPE *in Art. Mag. & Coll. Mag.*

GRandis Odyssea hinc vati tibi surgat, *Homere*:
Me, modò pauca cadant Disticha, Musa beat.

De

De æstate hac proximâ, imbrium plus satis fœcundâ.

Cur Æstas crebris ita squalluit imbribus? Orbem Rex Σωτ
Heu liquit nostrum Sol: Tenebras petijt.

Anglia.

Redde soror Regem, mea gaudia: visit Edenam: Vulgo Edenburgh.
Vere dedi, Autumno iam mihi redde soror.

Scotia.

Reddo, redit; servi, servaq; fidelis, Vtriq;
Charus, vtramq; piè pacificéq; regit.

Ad Regem.

Sospite Te, grates schola nuncupat Alma Iehovæ:
Talia non nisi quæ θεος rependat, habet.

Ad Deum Ευχαριστηρ.

Tu; per quem Reges regnant, & Regna perennant, Prov. 8. 16.
Hunc salvum redhibes: laus Tibi, summe Deus.

D. WILTON, *Art. Mag.*

Apostrophe ad Woodstochium, *quùm illuc Academici, concederent, vt Regi obviam irent.*

VVOodstochium nostris vicina palatia Musis
Sedes Chauceri nobilitata domo,
Tolle caput, reliquas modò quod supereminet vrbes
Dum tibi post reditum, Rex *Iacobus* adest.
Vrbs olim fueras *Rosamundæ* fonte celebris
Ex alio est maius nunc tibi fonte decus,
Ad te Pyrene nunc est translata Dearum,
Irriguusq; fluens ex Helicone latex.

En,

En, cum *Iacobo* veniunt Heliconides vnà,
Pieridumq; cohors officiosa ruit,
Woodstochij, *Oxonium* nam deportatur, ad Arcem,
Obviat & patri, docta Minerva, Iovi.

Vis tertiùm (*Cæsar*) precer votis meis
Omen reverso prosperum? lætus precor;
Nec solus opto: Gens simul Tritoniæ
Omnis, jubet salvere regem maximum.
Vt verò Vlyssem quem dupla annorum decas
Tandem revexit, populus excepit suus,
Dominum semel vbi proprium cognoverat
Sic, sed magis multò, triumphamus Tui.
Ithacæ vicem præstat magis læta Anglia,
Ritu Penelopes, Anna lætatur pia
Relicta viduo (proh diù nimiùm) thoro.
Gaudet Telemachi Carolvs pulcher loco
Et quisq; comem se, vt Evmars, probat.
Hinc gratulatur gestiens Evryclea,
Istinc fidelis Ianitor Philætivs,
Non est, (& esse ne sinas quenquam Devs)
Aulæ malignus proditor Melanthivs,
Aut jurgiorum, ancilla Melantho, satrix.
Non sæviens Ctesippvs agrestis procus,
Non Antinovs, irâ tumescens Aulicus
Tibi esto (Rex Auguste) longè comptior
Plebes salutans à regressu Principem,
Et gratior multò patescat Regia
Vltrò exhibens subjectionis debitum:
Cum cæteris, munus mihi hoc da poscere

Saltem

Saltē ARGI canis, vt promptior fungar vice,
(Quem Dulichius heros videbat lachrymās)
Da nempe vt agnoſcens heri veſtigia,
Lambenſq;, ſubſultanſq; calcantem ſequar;
Nam noſtra non ſunt faſtuoſa gaudia
Solius adſit obſequelæ gloria.

MATT. STYLES, *in Art. Mag. Coll. Exon. Soc.*

QValem ſe præſtant terris Hyperione natus,
Talis es Angligenis (*Magne Iacobe*) tuis;
Si Lunæ obſtiterit terræ propioris imago
(Phœbe) tibi, terris lumina (Phœbe) negas:
Non ſecus horrendam gens Anglia vidit Eclipſim,
Aſpectu Phœbi non radiata ſui:
Nempe Anglis radios invidit *Scotia* regis,
Qui nobis Phœbi luminis inſtar erant,
Sic ſoror vt fratri, ſoror eſt adverſa ſorori,
E tenebris tantis Scotia redde diem:
Redde ſoror Phœbum, cujus de lumine lumen
Conditione pari Scotus, & Anglus habet.
Perſarum ritu ſic, cùm caput exeret, Illi,
Debitus Indigeti conſtituetur honos.
Sed caput exeruit, fument altaria, Phœbo
Pro Phœbo veſtro cum prece thura date:
Æternum vt videat fulgentem noſter Horizon,
Nec ferat occaſum ſera, nec vlla dies.

SAM. BERNARD, *Art. Mag. Coll. Mag*

PErfida quam geminas ludit fortuna ſorores,
Nec patitur gaudere ſimul, cumq; illa *Iacobum*
Gaudet adeſſe ſuum, ſoror altera mœret abeſſe?
Nam neque fœlices Angli ſua gaudia, Regem
Non lachrymante Scoto, nec & hic ſine fletib⁹ Angli
Hunc videt, & lætis dominum complectitur oris.
Ipſa ſuas odit diviſa Britannia vires,
Imperiumque nimis latum, genteſq; moleſtas,
Quæ ſceptrum regale ſibi, & te, Magne, repoſcunt,
Ne poſſit pars vna frui, & ſatiata videndo
Miretur præſens decus, immotumq; tribunal,
Nec metuat ſociam, & propriâ hæc ſibi munera ſer-
Heu qualis vacua ſqualor modo viſus in aula (vet.
Abſenti domino: nunc, quâ quondam *illius arma,*
Et currus fuit, & comitum turba aurea fulſit,
Sola quidem raris reſpondet vocibus Echo.
Apparet domus intus, & atria magna pateſcunt,
Aſt vtriuſq; memor volat inter regna *Iacobus*,
Alternoq; avidas ſolatur lumine gentes,
Vt Sol Antipodum populos, mundumq; remotum,
Queis affert nox noſtra diem; ſic lumina ſecum
Iacobus dum tota rapit, Scotiæq; videtur,
Et ſtupet illa novum tandem luceſcere ſolem,
Impoſuit tenebras, & longa ſilentia nobis
Immemor (heu!) *minimâ contentos nocte Britannos.*
Interea tanti ſolatia mutua fati
Anglia & Anna ſimul finxit, pariterq; relictæ
Ignovere Deis. Hic *Carolus* affuit vnus;
Et quaſi non potuit tellus tot gaudia ferre,
Diviſit Dominos: Sed quàm fortuna recurrit?

Quæ

Quæ modo noſtra fuit, Scotiæ nunc facta querela.
Apparetq; iterum *Iacobus*,& aurea paſſim
Signa Deûm narrant, & purior emicat aër.
Eia adſis:pudor eſt,tot viles dicere villas,
Iacobum Teneo,ſitiunt quem regna tenere.

Quid tam frugiferi fuiſtis agri.
Quid tellus viret,& cavata ſylva
Phœbo pulcrior,aut ſorore Phœbi
Blandis vndiq;ramulis tremiſcunt?
An quiſquam Deus imbre,ſed beato,
Arentes modo glebulas reſolvit?
Illis,crede mihi,preces dedere
Nullas agricolæ,nec illa templa
Fundebat pietas aperta vota,
Præter quæ reducem volunt *Iacobum*:
Hæc cèrte genibus ſacris deorum
Incerata fuere vbiq; : clarè
Hæc omnis ſonuit,nec expavebat
Acres hoſpitis imminentis aures.
Sed nec liberius recepit vllum
E votis Deus annuente cœlo.
Vltrò cætera contulit precanti,
Vt ſoli daret has preces *Iacobo*.
Dum gentes aliæ tumultuantur,
Hiſpanus furit,Italuſq; miles,
Et Martem ſapit inquietus Orbis;
Hîc,hîc pacificos vide triumphos,
Et legum decora, & togas ovantes.
Hymnum concinit vnicum popellus,
HIC,HIC DE SCOTIA OPTIMVS TRIVMPHVS.

NIC.GRAY,*ex Æde Chr.in Art.Mag.*

Φοῖβος ὅτ' ἀρκτώων καταδύμενος ἤψεθ' ἑδράων,
Ἄιψα νότιο ἕδρας νύξ ἐρεβεννὴ ἔχει.
Καὶ παλὶν εἰς ἕδρας νότου ὅττε μεσημβρινὸς ἦλθε
Φοῖβος, τας ἄρκτους ἡ σκία νυκτὸς ἔχει.
Πάντα ὅρων ἐλάχοντο φύσει· μηδ' ἥλιος αὐτὸς
Ἀκτῖνας στίλβειν ἀμφοτέρωθεν ἐᾷ.
Ἄμμι σὺ φοῖβος ἔης, εἰ καὶ μὴ πυλύτε μείζων,
Ἐκ σέο Βρεττάννων γὴ σέλας εἶχεν, ἄναξ.
Ὡς φοίβῳ, καί σοι δύω ἡμισφαιρίω ἐστὸν,
Ἓν μὲν κῆμ' Ἄρκτου ἓν δὲ νότοιο βρέχει.
Ἀρτὶ ὑπερβορέων ὃς ἀπὼν ἐνὶ μείρεσι λαῶν
Τοῖς Ἄγγλοις μοῦνον διάκρυα πικρὰ λίπες.
Βρεττάννων νοτικῶν ὅσον αὐτίκα ἦλθες ἐπ' οὐδῷ,
Ἄγγλοις νοστήσας χάρμαθ' ἄπειρα δίδως.

Pellæum juvenem vatum crepat vndiq; charta
Non orbe contentum suo.
Et nostri annales primi meminere Richardi,
(Cui *Cor-Leonis* nomen est)
Plurima qui vidit sanctus loca barbara, sancta
Quem terra vidit advenam.
Omnis *Iacobo* cedat labor, vnicus ille
Vtrosq; vicit principes.
Movit Alexandrum turpissimus ardor habendi
Maiora, quàm fatum dedit.
Et nostro pietas suasit (sed cæca) Richardo,
Gentes videre dissitas.
Te non vana superstitio, non ardor habendi
Iacobe fecit hospitem;
Sed pietas, sed amor patriæ, sed cura Tuorum
Tantos labores intulit.

Non

Non hostis, non hospes eras, Britannia vtrinq;
Excepit exultans patrem.
Cæsar ave, pariter nobis optate Scotisque,
Parens Britannis vnice.

Quand me souuient de ce dernier voiage,
Que faict auez en nostre voisinage,
L'Escoße, Sire, qui tout ioincte nage
A L'Angleterre:
*De l'*Aimant *iamau aßez ie n'admire*
La vertu cachée, dont il s'attire
Vers le pole Nord, ni á son empire
Iamais fait guerre.
Tels que ceste pierre pendant l'absence
De vostre Maießé, ô Sire, penße
Les Anglois eßre, qui vostre preßence
Taschent r'auoir.
Nous sommes tous Aimants, *& vers le Nord*
Auons eu l'oeil touts d'un entier accord,
Et souhaitons vous derechef au bord
Des Anglois veoir.
*Mais de l'*Aimant *la vertu eßt moins grande,*
Lequel le pole iamais ne commande
Si non au Nord, & au Midy ße bande
Tout à contraire.
Nous auons l'oeil sur toy au Nord, de meßme
Au Midy, prochе ßois, en lieu extreme,
* Aimants *te sommes, tu nous es ßupreme*
Prince sur terre.

* Sec nec tam *Magnetes*, quàm vere *Amantes*.

EDVARD. à MESTERRE, ex Æde Chr. Art. M.

IACOBVS STEWARDE.
O subeat Dei curas.

Quę mihi, quę musis, populo quę vota supersunt:
Bina, nec obscurè, nomina regis habent.
Nomen onus magnum, curasq́; subindicat; istis
Tempora quòd regis sint redimita docet
Hìnc nos, hìnc alios Anglosq́; Scotosq́; volebat
Visere, & hìnc longâ hâc ire redire viâ.
Sic eat, *ô subeatq́; Dei curas Iäcobus*
Et verè *Stewarde Rex Iäcobus* erit.

ROB. WHITEHALL. *Art. Mag. ex Æde Christi.*

ia. QVem precor ad finem Laribus sejuncta Potestas
Exulat? Imperiumq́; suis à Sedibus errat?

ia. Cur mea quæ vestris tribuêre Palatia Nomen
Neglecto squalent senio? Nec creditur orbis
Isthîc posse regi? *Angl:* Medium, non deserit vnquam
Cœli Phœbus iter, radijs tamen omnia lustrat. } a.

Modi- trix. Hujus Pacificis debemus moribus omnes,
Quòd veluti Patrijs regionibus, vtitur hospes;
Quòd sedem mutare licet; Quòd cernere Thulen
Rursus; Et (horrendos quondam) penetrare recessus;
Quòd cuncti *Gens vna* sumus---- . } b.

idiani ta queru- *Hos ego versiculos feci* { a. *de* VI°: *Consulat: Honorij. versu*, 407°.
b. *de laudibus Stilico: lib.* 3°. *versu*, 154°.

Ag-

Agnoſco, vates inclyte agnoſco Tuos
Peluſiace, verósq; verſiculos ſimùl;
Rerum potito, Muſa, Stiliconi, tua
Honorioq; ſæpè blandita eſt nimis.
Stiliconis ac Honorij Nomen, ſtylo
Poeta rade, pone *Iacobum*, & ſape;
Hiſtoria vera, ſic erit, & encomium.

CHRI. WRENNE. *Art. Mag. è Coll. Sti Ioan. Baptiſtæ.*

ANglia quòd longas paſſa eſt te abſente tenebras,
Nomine mutato Scotia viſa ſibi eſt.
Te redeunte redit gentis nomenq; decuſq;,
Et verè reditu eſt Anglia facta tuo
Phoſphore ades multo laſſatus pulvere, ſi fas
Perpetuam nobis phoſphore redde diem.
Debita ſit regum cuſtodi gloria, quòd te
Vt dederat regem, ſic reducemq; dedit.

GILB. IRONSID, *Art. M. è Coll. Trin. Mag.*

POſt horas aliquot noſtris regionibus, abſens
Fulget in obſcuris Clarus Apollo locis,
Poſt horas etiam currus divertit ad ortum,
Et rediens fuſo lumine, vt ante, micat:
Non niſi poſt annos noſter nos liquit Apollo,
Vt lumen Scotis redderet ille ſuis.
Verùm poſt menſes redijt, vultuq; coruſco
Maturat meſſes, Anglia læta, tuas;

Iam

Iam nox preterijt, jam lux longissima restat,
Nosti Solstitium, summe *Iacobe* tuum.

TH. GRENT, *Art. Mag. Nov. C. Sor.*

DVm plectra carmen gravida votivum parant,
Et gratulanti voce, parturiens loqui
Poscit papyrus; obstat, & versum negat
Impar Minerva. Nam revisentis suos,
Mentio *Iacobi*; sic inhærentem movet
Desiderato nomini affectum; vt manum
Post se relinquat animus, alatus novo
Reducem videndi amore: & infirmos metri,
Velociora vota, præcurrant pedes.
Facessat ergò carminum vanus labor.
Non lassa vexet nomina Sororum, stylus:
Nulloq; calamo, aut vate turbatus, strepat
Adhuc quietus Helicon. En totum tibi
Regnum Pöema est: ac frequens populi co-
Vivum volumen. Absq; jacturâ leges (hors
Istum libellum: quem, nec imminuet fuga
Fragilis dierum, aut temporis fallet rota.
Nam cum voluptas hausta subsidet, recens
In se recurret, aucta spectando, ac eris
Semper legendo plenus, ac nunquam satur.
Fælix volumen, cujus, affectu tumet
Non lineis, pagella: nec serie integrâ
Idioma callet aliud, aut alios sonos,
Quàm quos sine arte, subditis dictat fides.
Non ipse Phœbus, sive Thespiadum chorus,

Satius

Satius Monarchæ ferre vectigal potest.
Sic terræ, onustos, ac triumphati maris
Spolio, recepit Cæsares quondam suos
Vrbs septicollis; discrepans vno tamen;
Quòd hi triumphis strage fecerunt viam;
Victoriæq; sæpè scanderunt thronum
Ferro & ruinâ, perq; captivas strues.
Tu sicca Pacis spolia fœcundæ refers;
Ac incruentus victor, haud belli metu,
Sed fido amore, subditos vincis tuos.

HEN. KING, *olim ex Æde Chr. Art. Mag.*

NVnc ad difficiles gradus, anheli
Aspirare juvat repente montis,
Et Musas revocare feriatas.
Tu tantùm, solito favore, nostris
Aspira leviter, *Iacobe*, cæptis.
Sic moto Zephyro, canunt olores:
Sic aurâ tumidi tuâ, Favoni,
Vates grande sonant, & incalescunt.
Nam quisnam vel Apollo, quodvè numẽ,
Instinctum daret, entheumq; pectus?
Aut quisnam potior, potentiorvè,
quàm, quem nos facimus, colendo, numẽ?
Et (quod non sine gaudio profamur)
Post emensum iter haud inauspicatum,
Iam cœlo aspicimus suo locatum.
Vt jam non sit opus furore sacro:
Nec, Bellona, tuum *precamur* œstrum.
Nacti Lætitiam: facessat œstrum.

Sublimis satis hæc, loquax q; res est;
Atq; omni propè fortior furore.
Fundit carmina, gratulationes,
Et vota, atq; animos (*licebit*) ipsos.
Non desiderio fideliori
Clamatus toties Hylas, sed vnà
Conclamatus erat miser: quòd vrnam
Dum mærens sequitur, recepit vrna.
Sed plausum nimis inquino querelis.
Non aut Linigeri gregis triumphus,
Invento sacer Isidis marito,
(Ad nostram redit Isidem maritus)
Sublatæq; alacres ad astra voces,
Has nostras superent ovationes.
His & Luna velit libens reduci,
De lassata tubis, & ære multo.
Et quis tam sibi parcus, invidusq;?
Tam Regi quis iners, invtilisque,
Hæc commercia gutturis *negaret*?
Hæc ventosa piæ tributa mentis,
Vellet cum tacitâ perire chartâ?
Cùm jam mane suum, diemq; nostri
Quæstor luminis, atq; origo, promit,
Et proferre suum jubar videtur:
Quod longum glacialis Vrsa sensit,
Et tardus recreatus est Bootes.
O quantam, viduata terra, brumam
Æstate in mediâ tulit? nec ardens
Posset tunc benè Iulius vocari,
Cùm se subtraheret Planeta noster

Aversa

Aversâ face, Juliumq; sidus.
Annon nos propè mortui Britanni,
(Nam certè quota portio Britanni?)
Vitamq; ac Animam novam, refundi
Per fibras, nisi corneas, fatemur?
Dùm sedes repetit diù relictas,
Et Mens, & Ratio suprema regni.
Quæ membris licèt insidet duobus
Vna; vt non nisi nexus adsit vnus,
Vnumq; Imperium: tamen sepultus,
Dum celatus erit vigor, superstes
Hìc Rex, quem comitum, satellitumq;
Densato grege, stipat ordo longus.
Hinc nobis dolor, atq; solitudo,
Divisis vt ab orbe, sic & olim
A turbâ atq; foro, frequentiáque:
Divulsis quoq; Cæsaris favore:
Divulsis equidem, sed & propinquis.
Nam cùm sub gelidâ maneret Arcto,
Disiunctus spatijs, situq; longo;
Præsentem coluit remota Thule,
Vicinum tamen angulo Anglicano.
Et quis tam propè, tam proculq; nobis?
Sed divortia longa, Cæsar ipse,
Qui fecit, facit vna vt eximantur.
Jam certè propior: quòd & potiri
Atque ambire licet. Nec aut iniquus,
Indulgensvè sui nimis, *Iacobus*,
Dum sic vult geminæ vacare plebi.
Nec genti poterat studere binæ,

Ni ſe propitium daret viciſſim.
Hoc lites dirimit, fovetq, noſtras:
Accendit ſimul æmulationes,
Et ne degenerent, vetatque, & obſtat.
Quòd ſi jam pariles vtriq; Regis
Ex æquo trahimus jugumq; & auram;
Decertare odijs nefas putemus:
Juſto, ſitq; nefas, amore vinci.
Hunc junctis animis, amore juncto,
Certatimque, precor, diù colamus;
Alterniſq; precor, diù fruamur.

IOH. KING, *ex Æde Chriſt. in Art. Mag.*

IN *Scotiam*, quæ te duxit, pia cauſa placebat:
Sed non tam longum (Magne) placebat iter.
Ad nos perplacuit, quæ te, pia cauſa reduxit,
Et, longum quamvis, plus placet illud iter.

Vere petis Scotiam, nobis hyememq; dediſti,
Seu cœlum, aut noſtras intueare genas:
Gratior Autumno redijſti, hyememq; fugaſti;
Omnia perpetui veris & inſtar eunt.
Sic, quas tu terras *perluſtras*, (inclyte princeps)
Illuſtras: parent tempora & ipſa tibi.

IO. MOMPESSON *in Art. Mag. è Coll. Wad. Com.*

Siccine

SIccine in extremos exundat cura Britannos,
Vt loca tam latè dissociata petas?
Nec pedibus peragrare tuæ penetralia gentis
Desinis, aut longæ tædia ferre viæ?
Vt populi veras audire, ac reddere voces,
Et lateri possis inserere ipse latus?
O ingens pietatis opus! vix credere fas est,
Quòd cadat in regis pectora talis amor.
Regia res fuerat populo misisse salutem,
Sed tibi, quam possis mittere, ferre placet.
Atq; piè properas patrias invisere sedes,
Scilicet auxilium non leve vultus habet.
Nam propè cum lucem Boreales spargis ad oras,
Maior ibi tepidæ copia lucis adest.
Sic cum Sol radijs terram propioribus vrget,
Phæbæo citiùs lumine terra calet.
Nec tantùm ad Boream, sed ad Austrum proijcis vmbras,
Læta sit vt radijs Insula tota tuis.
Inter vtrumque polum sic sol se versat, & æquo
Singula terrarum claustra tenore regit.
Det Deus, vt cursum peragas cum sole perennem,
Lumine nec careat terra Britanna tuo.

RIC. GARDINER, *Art. Mag. ex Æde Christi.*

Carmen Pastorale in quo morum Academicorum candor, nec non & pius Sereniss: Prin: Iacobi *erga eos amor & cura* Ἀλληγορικῶς *exprimitur, cuius reditus votivâ excipitur lætitiâ.*

Tityrus. Lycidas.

Ti. Vt valet, ô Lycida, pecudum grex? fama susurrat
(Et metuenda quidem, neq; enim sermone refertur

Inſtabilis vulgi dominari virus ovili
Lethiferę peſtis, quod non exæſtuat extra,
Et cute in extremâ: penetrat ſed aduſq; medullas
Latiùs effuſum, totoſq; exaſperat artus,
Quo *lanę q; cadunt, et* pallida *corpora tabent.*
Ly. Siccine ſumma, bonis alienis pallidus, vrget
Perpetuò livor? non ætas protulit vlla,
Neve datura gregem meliorem Pani, futura
In priſcum redeant licet aurum ſæcula; toto
In grege quæq; pecus *binos alit vbere fœtus*
Formoſos, *ſparſis etiam nunc pellibus albo:*
Et tamen ingratis premitur quoq; copia lactis
Vicinis, quam pro exiguâ mercede reportant:
Nec gregibus, quos tu diſperſos vndiq; cernis,
Eſt vnus ſcabie infectus (vel me latet) agnus.
Ti. Non huc vſq; tibi medicas porrexerat artes
Pan, Deus ille ſui ſemper ſtudioſus ovilis,
Per quas illuviem, ſcabiemq; expellere poſſis,
Quæ temeravit oves? *Ly.* Fateor tentaverat olim
Morbus oves facilis, qui Pani innotuit ipſi
Protinus; vnde abiens nuper de montibus iſtis,
Dum redeo, Lycida, *brevis eſt via,* dixit, ovile
Sit tibi cura, pecus ſiqua eſt ſcabioſa, vel illam
A grege ſemoueas, *ne pars ſyncera trahatur:*
Vel ſubitò lapſas tollas in priſtina vires;
De quo nos adeò inſomnes vigilavimus, vt ſi
Jam præſens luſtrare ſuum dignetur ovile,
Vnde gregem totum laudet, noſtrumq; laborem
Inveniet: ſed jam oblitus regionis & hujus,
Et noſtrûm, nil *curat oves, ovium ve magiſtros.*

Tit.

Tit. Abfuit in longum fateor, ſed digna morari
Eſt ea terra Deum, quis.n. locus anteferendus
Arcadiæ? hic petitur votis, *hic illius* ara,
Hic currus; *Ly.* Nobis & ſunt loca numine digna,
Et ſylvæ, & varij ſaltus, & flumina nota
Præſide digna deo: concedent numina Panis
Hoc mihi. *Tit.* Verùm illum regionis cura moratur
Forſitan abſentem, populi quoq; vota, precesq;,
Et paſſim repleta ſuis altaria donis
Exorant remanere brevi, cui præſidet, vrbe.
Sed quibus oſtendetis eum vos poſſe morari,
Cùm vobis aderit; Panis mora digna triumphis.
Ly. Quiſq; locus templũ, dabit aram quiſq;, cremanda
Impoſita atq; arę dabitur ſua victima cuique.
Ruſticus & clamor referet veniſſe Tonanti
Magnum Pana Deum, Muſæq; Helicona colentes,
Atq; cothurnatæ nymphæ, Dryadeſq; puellæ
Immixtæ ſatyris, choreas, cantante Syringe,
Circa illum ducent, & paſtoralia noſtri
Carmina, quæ nuper fecit, repetentur Amyntæ.
Tit. Quæ modò ſi repetes, noſtra prece motus, habe-
Quas poſſum (Lycida) tali pro carmine grates. (bis
Lyc. Eſt * *domus* & muris, foribuſq; excelſa ſuperbis: * Æd. Chr.
Imperfecta tamen, ſed ſumptu digna pioq;,
Artificiſq; manu eſt; auſtralis cujus in amplum
Pratum porta pater, facundæ Palladi ſacrum:
Hujus vtrumq; latus virgis, ac vimine, denſum,
Arboribuſq; ſatum, Cherwellus & ambit, & Iſis,
Auſtrali quæ parte ſimul coëuntia prati,
Conjunctim properant, vnito flumine ad ortum.

Illuc

Illuc egit oves, baculoq; innixus Amyntas,
Diuinum tenui modulatur arundine carmen.
Ipsa repercussit vicinis omnia ripa,
Carmina respondent salices, ego frigora captans
Sub viridi, ramos late expandente, salicto,
Quod mihi solstitium defendit, talibus aures
Præbueram dictis, audita ego verba notavi.
Pan mihi carmen eris; Panos *sunt omnia plena*
Munere, propitio *Pani* pia thura crementur;
Agnoscat Babylon ficta pietate superba,
Prospiciens totum *septem de montibus orbem*
Nescio quod numen * falsi Jovis, atq; Dialis
Flamen eum supplex sacro veneretur honore:
Nos vero nullum numen, nisi Pana, fatemur;
Pan *calamos inflare leues*: Pan *dicere versus*,
Et stipulas *cerâ instituit coniungere plures*,
Excubias & agit, somno pastore soluto,
Pro grege sollicitus, quem servat ab ore luporum;
Sancte Deus pecoris, tibi plebs, tibi curia debet
Munus ob incolumes pecudes, pecudumq; magi-
Adsis ô Tegeæe; lieet tibi Mænala curæ, (stros.
Ne tamen exorent tam longè Mænala vestram,
Cyllenéue moram, nec temet sola fruantur;
Namq; etiã Thamesis, fluvijsq; immensa Sabrina,
Oulaq; te meruit, quibus est præsentia pacta.
Absentem te rura dolent, pecudesque, colonique,
Inq; sinus etiam lachrymarum flumina nostros
Effluxisse. *feri montes sylvæq; loquentur.*
At tu si nobis non dedigneris abesse,
In risum fletus mutabitur; ocyùs ergo
Te nostra excipiant reducem delubra, laresque;

Papæ quem Pontificij Deum appellant, Extravagant Ioh. 22. cuni inter. in Glossa & dist. 96. satis evidenter.

Hæc,& plura, puer,quæ non meminiſſe valemus,
Gramina dum carpſere greges,cantavit Amyntas.
Tit. Iſta recantari magno meruere Lycæo,
Et repetentur ei,ſi quas mihi gratia vires
Effecit;nuper Pan nos audire ſolebat.
His etiam tibi ſi libeat ſuperaddere carmen,
Paſtorum Domino Pani,conjuncta legentur.
Lyc. Arcades & muſam retinent,Geniumque;ſilemus
Hæc nemora, & montes reducē dum Pana ſalutant,
Panos ad adventum calamo nemus omne ſonabit.

Si natura negat faciunt nova gaudia *verſum.*
Fit noſtri reditu quiſq; poeta *Dei.*
Qui nondum didicere loqui, modò ſcribere diſcent,
Verbaq; quàm verſus defuerint citius.

GEO. IAY, *ex Æde Chr. in Art. Mag.*

PHœbus in occiduis currus vbi condidit vndis,
Aſpectu noſtrum jucundo luminis orbem
Privat,& ingratis obvoluit cuncta tenebris.
At ſimùl ac Thetidis ſatur eſt amplexibus, & jam
Retrò vertit equos; renovatâ fulgidus altum
Scandit luce polum,tenebras diſpellit,& omnes
Jlluſtrat radijs terras, reditúq; benigno
Nos recreat,redditq; novam cum lumine vitam.
Sic(Princeps auguſte, Angli ſol ſplendide cœli)
Dum tua vicinas luſtrat præſentia terras,
Et nos averſis radijs citò linquit, opacâ
Obtegimur miſeri caligine,nox, tenebræq;
Curà,dolorq; premunt,ſubituræ mortis imago

Occupat,& vitâ paritèr cum luce caremus.
At ſimul ac vidit vultus,aquilone relicto,
Anglia læta tuos,redivivo lumine cœlum
Incipit Angliacum ſplendeſcere,nox,tenebræq́;
Cura,dolor fugiunt;recreat tuus omnia,Cæſar,
Et reditus lucemq́; tuis,vitamq́;reducit.
Sic ô ſic ſemper maneas lux noſtra,ſaluſq́;,
Sic ſemper foveas vultus ſplendore,nec vnquam
Avertas radios: ſed cœlo altiſſimus iſto
Solſtitium fac æternum.
Sic nobis ſine nocte dies: ſine frigore brumæ
Ver erit æternum;ſic,ſic florente IACOBO
Dulcia ſepoſitis,peragemus ſæcula curis.

DANIEL EASTCOT *in Art. Mag. Wad. Coll. Soc.*

IAm ſegetes reſecant,& jam fœliciter vuas
Carpunt agricolæ, grataq; meſſis adeſt:
Gaudia quæ nobis affert ſperata Britannis,
Et quæ divitias,delitiaſq; feret.
Gratior at nobis reditus tuus,inclyte Cæſar,
Divitijs patriæ delitijſue tuæ.

RIC. PVLESTON *in Art. Mag. Coll. Wad. Socius.*

SI reduces reges alienis ire ſolebant
In Romam pedibus: dum timuere ſuis.
Tu dignè Pedibus cœlo exaltabare noſtris,
Arctoo cum tam Laſſus ab orbe venis.

NIC. RICHARDSON *in Art. Mag. & Coll. Magd. Soc.*

Inſula

INsula dives opum, Phœbo dilecta cadenti,
Oceano dilecta patri, jam gaudia REGE
Concipe digna tuo, & tanto lætare Monarchâ,
Et clarum pæana canas, Dum lancibus æquis
Temperat imperia, & fines colluſtrat vtroſq;
Ecce rubente abeunt inamœna crepuſcula cœlo,
Et mundi redivivus honor, ſiduſq; benignum
Jam propiore rotâ venerantes afflat Athenas,
Quæ Solis cupidæ Perſis ignoſcere diſcunt.
Lux toties optata fave, gratiſſima ſalve,
Quæ reducem advexit, noſtrum Titana, *Iacobum*.
Auſpicijs cujus, celebrantur Sacra Jehovæ,
Arma ſilent legeſq; ſonant, non claſſica terrent,
Non litui timidas matres, Mars ipſe catenas
Induſt occluſo fæno, ſed cætera templa
Cuncta patent, & Turba frequens Règemq; Deumq;
Ritè colit, largo ſe fundit Copia cornu:
Relligio peperit pacem, pax educat Artes:
Πάντα καλῶς, dicant Tarpeio à culmine Vates.
Vt brevius dicam, Fit noſtra Britannia Tempe:
Applauduntq; aliæ Gentes, cœlumq; Deuſq;.

De Poemate Heroico in victoriam Lepantiam, à Rege quondam conſcripto.

Quàm benè Bella canit, qui pacem præſtitit orbi:
Quiq; canenda gerit, quàm bene geſta canit.
Dicere ſic Bellum, Bellumq; indicere, Regis
Propria ſunt; humili non temeranda ſono.
Quum Vates, vatumq; Seges, Phœbuſq; ſit idem;
Quàm timeat vultus Muſa ſubire ſuos.

I. FISHER, *Coll. Mag. Art. Mag.*

OMnia compoſuit, ſtetit ordine Scotia, cedit;
Imperium tenuit pax, Amor, alma ſalus.
Conſulit, ægrotamq; iterum dum ſcivit, adivit:
O mirâ in patriam Relligione virum!
Et jam longè aberat, redijt, petit Angliam, & illam
Optat, amatque, fovet, ne doleatq; videt:
Oſtendit curam Reditus, Diſceſſus, amorem;
Major, & in dubio eſt, illa vel illa fuit:
Illum ſeu, ſpecteſve illam, vel vtrumq; Parentem
Jacobum Patriæ dicere jure potes.

WARNERVS SOVTH, *LL. Bac. Nov. Col. Soc.*

DVm dubijs alij committunt flatibus alnum
Et *trabe* cum *Cypriâ* littora ſumma legunt,
Poſt habitiſque ſuis peregrinas viſere terras
Ardent, impavidi quanta procella fremit:
Cur *Iacobe* ſolum patriæ *natale* pererras?
Et longè peragras *regna* videre *tua*?
(Ni vanum nimis augurium) Tibi *littora noſtra*
Ceſſêre in *Patriam*, *Scotia* in *Hoſpitium*.

TH. HOLT, *Art. Mag. C. C. C.*

DIſceſſum doluit modò quæ pia turba Britannũ,
Exultat reditu, ſumme *Iacobe*, tuo.
Exanimis penitus mœrebat ſquallida luctu;
Et queſta eſt longos, lentius ire dies.
Scilicet ingenium quod ineſt manſuetius Anglo,
Haud patitur lentæ tœdia pigra moræ.

Solſe-

Solsequio quod Phœbus erit, quod vitibus vlmi,
Graiugenæ Juno, quod Venus alma Phrygi;
Ægrotis quod grata salus, quod vita sepultis,
Angligenæ populo, talis es ipse tuo.
Musa mihi quotiens est execrata Calendas,
Quę nobis nostrum, surripuêre Iovem.
Musa mihi quotiens est amplexata Calendas,
Quæ mihi de nostro dicta tulêre Iove?
Vere novo patrias statuisti invisere sedes,
Arida cum pluvio supplicat herba Jovi!
Credito sic blando vultu tua cuncta serenas,
Vt videare mihi, vere rediisse novo.
Major in humanis non est hâc vlla potestas,
Quæ jubeat pluvio mitius esse Ioue.

In tempus Æquinoctiale circà quod ab Anglia est profectus & in nostras demùm oras gratissimè est receptus.

Si non illudor, si verum mens mea narrat,
Cum dees Angligenis, Angloscotosq; petis;
Obscuræ nitidis æquantur lucibus vmbræ;
Nec tenebris major, nec minor ille dies.
Woodstochiæ nostris tum demum redderis Anglis;
Sic redeunte, fuit, sicut, eunte, dies;
Non bonus esse nequis populis, Angliscq; Scotisq;,
Qui simul æquus abes, qui simul æquus ades.
Æquus abesse tuis quod si potes, æquus adesse;
Bis gratum reducem, quis neget esse tuis?

TH. CHAFIN, *Art. Mag. Exon. Coll.*

Mvsarum pater, omnium patrone,
Qui ductus pietate pertinaci,
Et longæ patiens moræ viarum
Cunas,& patrios lares adisti
(Humano generi lares benignos)
Nobis noctis,& orbitatis autor:
Ecce vt lætitiam novam reducis,
Ecce vt densa hominum seges tuorum
Augustum latus hinc,& inde cingens
Audaci tibi gaudio renidet.
Et quos(*Oxonio* nimis remotos)
Nondum frons sacra reddidit beatos,
Nautæ,& dum metuunt novam procellã,
Dum celsam petit,*architectus*,ædem,
Messor,dum malè suspicatur imbres,
Illis quod modò *rusticans Minerva*
Dictavit,sibi concinunt poema
Sic gratis vicibus subinde clausum
Iacobus redijt suos ad Anglos.
Hoc ipse invigilans *avarus* arcæ
Dum nummis tacito canit susurro,
Præ nummis cupit aureis,suisq;
Iacobi archetypos videre vultus.
At nunc *Pierides*,sacræ sorores
Occurrunt modo fontibus relictis
Incessu tibi carminum pedestri:
Digneris tenui hoc coli *tributo*,
Digneris gracili hoc legi *libello*
Musarum pater, omnium patrone.

GVIL. COVCHMAN, *Art. Mag. ex Æde Ch.*

Ad

Ad Serenissimum M. Britanniæ Regem, Iacobum, de Mandatis, quæ in Scotiam profecturus, dedit Academia Oxon.

VOta reliquisti,* renovataq; jura: favoris
Donasti nobis hæc monumenta tui:
Occultas vires, redivivaq; Numina, Musæ
Senserunt; virtus, jam reparata, viget.
Non tamen hæc damnũ reparant absentiæ; & absens
Dum fueris, nobis vix placet esse probis,
Quin redeas potius: Musasq; Artesq; silere,
Omnia confundi, hàc conditione placet:
Nam propiore tuo afflatu peritura resurgent
Ingenia, & Virtus languida fortis erit.

* Conspirârunt. cum antiquis Academiæ statut

CHRIS. WHITE *in Art. Mag. ex Æde Christ.*

Ad Regem.

SOlem si coluit fides vetusta
Dum gratus redijt frequens ab Ortu:
Non Te, dum Boreâ redis, colamus
Mirandum magis & minus frequentẽ?

Oxonium Regem alloquitur.

Cum discessisti, dixit mens certa, *Redibis*:
Nam mihi discedens nõ *Valedicta* dabas.

Ad Regem, de muro Pictorum.

Hunc trepida hostilem cum cõdidit Anglia murum:
Credo Illam Reditum Tunc Latuisse Tuum.

De Rege & Sole.

Dissimilis Soli imperio est similisq; *Iacobus*:
Ille duos Tropicos, Hic duo Regna videt.

Gaudet

Gaudet ad Auſtralem Tropicum Minus Jlle morari:
Sed manet Auſtrali Rex Ditione Diù.
Tardius & Phœbus Borealia ſigna Peragrat
Sed Citiùs Peragrat Rex Boreale latus.

Woodſtochium alloquitur Oxonium.

Dum redit Auguſtus, Mea culmina Prima ſalutat:
Poſt citò præteriens, Vix Videt Jlle Tua.
Nè tua te nimiùm reddat doctrina ſuperbam
Te celebrant Muſæ; Me ſed APOLLO beat.

Ad Regem.

Scotus Te tenuit decem ter annos:
Hîc Æquâ vice permane: Redibis.

BARTEN HOLYDAY *Art. Mag. ex Æde Chriſti.*

GLoria terrarum, cœlorum cura *Iacobe*,
Quo ſalvo magnum ſenſimus eſſe deum:
Conqueritur, tardè redeas quòd ſerus ab arcto
Invidet & nimias Anglia veſtra moras.
At tua jam terras volitarunt ſcripta per omnes,
Quorum vel minimæ eſt neſcia fama moræ:
Tam cito percurris mundum, totoq; videris
Dum ſumis calamos Dædalus orbe leves:
Addere qui pennas digitis, mirâq; volare
Scribendi doctè tam celer arte potes;
Quî tam tardus ades, cum ſis pennatus? ad Anglos
Ah rediens pennis nunc revolato tuis.

Solius mundum qui fama nominis imples,
Abſens præſentem quem locus omnis habet,

Ne

Ne peregrinando corpus cœleſte fatiges,
Cùm veheris quâvis, ſis licet ipſe domi.
Si tibi diſtantes amor eſt inviſere terras,
Extera ſiquando regna videre juvat,
Portandum alatæ ſat te committere famæ,
En indefeſſum quolibet illa feret:
Quæ geſtare gravem virtutum pondere debet
Sola ſatis par eſt eſſeda fama tibi.

Aliud ad Iacobum ex Scotia reducem.

Quæ pedibus ſolis toto pro corpore conſtant
Carmina, Sicelidum dat tibi fida cohors:
Opportuna magis neſcit ſoteria, feſſo
Quam tibi jam reduci reddat vt ipſa pedes.

Tam docto lateri quæ veſtro ſemper adhæret,
Nuper & in Scotiam te comitata fuit,
Rurſus in his metris Muſarum turba ſuorum
Offert obſequium læta fidele *pedum*;
Inq; novum ſe cingit iter, quocunq; parata
Tecum longinquas ire, redire vias.
Sed tamen ignoſcas, carmen ſi claudicat omne,
Vix vno Muſæ ſi pede ſtare valent:
Quælibet in Scotiam cum te ſit Muſa ſecuta,
Poſt tantum merito clauda recedit iter.

ANT. CLOPTON, *Art. Mag. C. C. C. Soc.*

VErum vota tuos delúdunt Anglia viſus?
An rediit regum gloria magna tibi?
An *Iacobus* adeſt? An vultus cernimus ipſos?
An verum corpus? Singula membra ſtupent,

Languent lætitiâ, penituſq; hâc ſolvimur omnes,
Quos penè immenſus ſolverat ante dolor.
Fallimur at forſan; faciles nam credimus illud
Quod volumus, prona eſt in meliora fides.
Jlle eſt? Agnoſco regalia ſigna, negaret
Si ſe rex, regem ſola probare queunt.
Agnoſco proprias virtutes: eſt decor idem
Quem memini capitis: gratia fronte manet.
Sacra Deo conferte Sacri: populum tegat arbor
Populus: atq; aulæ cingat oliva comas.
Aris thura manus imponant; pinguis abundet
Aer; plena deûm laudibus ora ſonent.
Te colimus dux Phœbe viæ, te corporis autor
Sani magne Pater. Te Deus vne Deûm.
Ad ſedes patrias hoſpes *Iacobus* adibat,
Et noſtrâ noſter, ſede reverſus adeſt.

MI. IERMYN, *Art. Mag. C.C.C.*

De profectione & reditu Sereniſſimi Regis.

CRedimus; Arctoi vis eſt magnetica mundi;
Magnes, Magnates qui trahit, arctus amor,
Non ferrum tantùm, ſed & aurum, tendit ad Arcton;
Dùm recolit ſocios aurea turba Lares.

Londinum ſine Rege, quid eſt? ſine ſole Mycenæ:
Luſtrat & illuſtrat Delon Apollo ſuam.
Quæritis Angligenæ, cur valdè æſtate pluebat?
Sol aberat; Sudum, cùm redit ille, redit.

TH. PRICHARD, *Art. M. Col. Ieſ. Soc.*

Con-

Consilium ad M. Gotardum Arthusium Mercurium Gallo-belgicum.

QVi vigil es Calus,& Commentarius anni,
Sordida quē novitas,vel falsa volumine mittit
Nunc famam redimas;& quòNarratio tendit
Incipias signare fidem: Dedit esse labori
Cur statuas precium,gravidus *Iacobus*,& Annus,
Et Liber ad Scotos;docuit nos credere tantum
Gentis avaritiâ crescens absentia Regis.
Nunc imple calamos, & Mundo-belgicus esto:
Scribe quòd à Laribus varias sarcire ruinas
Iacobus,plures fit in vno Principe Reges.
Pone quòd imperio plus quàm tria lustra videbant
Anglorum luxum,sed religione paratum,
Et Regis pietate sui; qui corpore gestit
Nativos agili nunc illustrare Penates.
Rursus &,invidiam quòd pompa viatica sensit,
Amborum luctante fide:nec gaudia Clerus
Sustinuit Laici,Laicus nec dogmata Cleri.
Perge renascentem Scotos vidisse *Iacobum*,
Qui sibi nunc Genius,maturo præbuit ortu,
Quod Natura parens infanti semine nescit.
Siste manum,satis est,nimis est;Caruisse vel Illo.
Plena licèt,tumido patitur Gens murmure:Regem
Spectemus reducem,validum,spectemus Eundem:
Spectamus,placet hîc oculos satiare gulosos.

TOBIAS EEDES,*Art. M.*
ex Æde Chr.

ADesdum mea Musa, solpitali
I jam fortitèr obviam *Iacobo*:
Inflexoq; genu precare centum
Salutesq; Beatitudinesque;
Post centum quoq; Gratulationes,
Et pedum quoq; suaviationes,
Si quicquam Novitatis orbe nostro
Interim recidit, refer *Iacobo*.
Dic quàm tetra Lues amæna nuper
Musarum violavit ambulacra:
Nimis scilicet, ah nimis remotus
Salus abfuit omnium *Iacobus*,
Dic quàm pallidulo fedebat ore
Desperans Medicina, nec volebat
Aut in vesperijs *Camitijve*
Lætum tollere purpurata vultum:
Nec mirum. Quia vita, spirituſq;
Et cor abfuit omnium *Iacobus*.
Dic quòd nobile Jus, decusq; mundi,
Effœtum prope marcidumq; stabat:
Procul scilicet, ah procul recessit
A nobis animata Lex *Iacobus*.
Si mœstus super hisce fiat, adde
Quæ sunt auspicij beatioris:
Dic quòd quinq; decemq; purpurati
Stabant Theologi, Timor malorum
Et graviſſimus Horror Angelorum.
Hæc, & quod superest memento fari:
Vitam deniq;, spiritum, salutem,
Cor, Legem, Decus omnium *Iacobum*
Submisso jubeas modo valere.

IOH. SOVTH, *Nov. C. LL. Bac.*

Ad Serenissimum Regem, Academia.

ECquid, hyperboreis ad nos conversus ab oris
FORTVNÆ REDVCI sacra (IACOBE) paras?
Parce supervacuo viliq; (JACOBE) labori.
Sacra parat *Reduci* nostra Thalia *Tibi*.

Quòd cùm Martio abiisset, Augusto redierit.

Scotia quo primùm *dedit* Anglis mense IACOBVM,
Hoc *rapuit*: (Mensis *Martius* ille fuit)
Post Lunas bis tres actas fæliciter, Anglis
Augustum [*Augusto*] *reddidit* illa suis.
Artibns excellens *Belli Pacisq;* Monarcha,
Martio & *Augusto*, *redditus* & *datus* est.

Τὴν Αγγλίαν λιπεῖσαν
Τὴν τ' Αγγλίαν λυποῦσαν,
Παλίνοστος ὡς ἐπῆλθες,
ΙΑΚΩΒΕ τῶν ἀνάκτων
Κύδιστε παντα πάντων·
Γήθησε γῆ, καὶ ἀντὶ
Δημητέρος θεαίνης,
Θαλυσίοις Σε τίμα
Καλοῖς καὶ ἀγλαοῖσι.
Φαιδροὶ γεωργοί, ἀντὶ
Δημητρὸς εὐπέπλοιο,
Ἁλῶα Σοι ἔτευχον.
Ὦ χαῖρε τρισμέγιστε
ΙΑΚΩΒΕ, μηδὲ ταύτην
Ἔκλειπε δεύτερον γῆν,
Ἀεὶ δὲ ὀμμάτεσσιν
Εὔφραινε τοῖς τεοῖσι.
Δύνῃ γὰρ ὀμμάτεσσιν.

IOH. FLAVELL, *in Art. Mag. Coll. Wad. Soc.*

SI tantum *Paulo* cultum det *Lystra*, *Iacobo* Act.14.13.
Quid faceret, dixit quẽ Deus ipse Deũ? Psa.82.6.

Borealis terræ pars, circa polum, in toto anno (referente Solino) non nisi vnum habet diem, vnam noctem.

Est regio in terris medios quæ dividit annos,
Dimidia est vbi nox, dimidiusq; dies.
Quæ, per sex menses longam tulit Anglia noctem;
Perpetuum sperat (te redeunte) diem.

Cur Aquilo tantas misit cum fulgure luces?
Lux illic noster rex *Iacobus* erat.

Anglia te poscit, poscit te Scotia; visa est
Adventu fœlix vtraq; terra tuo.
Nec tam quæ poscit, quam quæ te possidet, illa
Illa est judicio terra beata meo.

Religionis cura itineris causa.

Tu gladium & Claves (potiùs quàm Papa) mereris,
Et cathedrâ Petri tu magè dignus eris.
Ille quidem bullas forsan transmittit; at ipse
Conjicis in longam teq; tuosq; viam.

Corporis atq; animæ tua singula, grata Jehovæ:
Aures, lingua, manus, mens, oculiq, placent.
Mens & *lingua Deo, Verbo* datur *auris, Ocelli*
Scripturæ; miseris panditur ipsa *manus.*

Ad adversarium quemcunq;.

Si dextrâ calamum, lævâ portaveris ensem,
Hunc nec læva movet, nec tua dextra movet.

Qui

Qui *Marti* & *Muſis*, Muſis & Marte valebit,
Et prior hic bello, pacis & arte prior.

Parvis aſpicimus ducem cicadis,
Mellitiſq; apibus feraci in Hybla,
Alatiſq; avibus ſub aree cœli,
Et piſci placido maris profundi;
Homo qui regimen tenes ferarum,
Monſtrum eſſet, tibi non placere Regem.
Vt dent ſe malè cæteri Monarchæ,
Toti diſpliceant ſuo popello,
Aſt in delicijs erit *Iacobus*,
Amanduſq; bonis, bonos amabit.

IOHANNES GRENT *in Art. Mag. è Coll. Nov. Soc.*

IBas Vere, redis Autumno (Magne *Iacobe:*)
Sed quia perpetuum eſt ver, vbicunq; jubar
Aſpectus ſolare Tui ſua lumina mittit,
Ibas Autumno, Vere (*Iacobe*) redis.

Anglia ad Iacobum Regem.

Cùm me relictâ, Te recepiſſet plaga
Borealis, ô quàm geſtiebam vnà Comes
Dari: meo gravabar infortunio,
Natura quòd me mobilem non fecerat,
Perinde vt inſulas in agro *Cæcubo*.
Sed vt ipſa non poſſem Tibi præſtò affore,
Abeſſe votis non tamen poteras meis:
Egreſſa Tecum illa redeunt Tecum ſimul.
Meum per annos mille calcato ſolum;
Dulci nec vnquam viduer aſpectu Tuo.

ALEX. HVISH, *Art. Mag. Coll. Wad. Soc.*

DVM tua regalis pietas invisere cunas
Vrget, & in patriam te remeare tuam:
Quàm trahit ex imo suspiria pectore tristis
Anglia? turbatas quàm rigat imbre genas?
At postquam auspicio cœli glacialia linquis
Arva Caledonij (Rex *Iacobe*) soli:
Quæ modò fædato nimijs singultibus ore
Defuit in voces Insula mœsta suas,
Æthereos cœtus læto clamore lacessit,
Ardet in amplexus tota soluta tuos.
Ponat vt in fastis, redeunti, sedula quærit
Quæ tibi tunc Helice, quæ Cynosura fuit.
O celeres, facilesq; vias, facilesq; recursus!
Nemo redire potest prosperiore rotâ.
Ergo *Iacobe*, mane: nunquam rediturus ad Arcton,
Quà Borealis hiems frigore stringit humum.
At te, quem Boreas pennis stridentibus egit,
Spirantis Zephyri mulceat aura tepens.

Academia Oxonienſis Sereniſſimum Iacobum Mecœnatem ſuum ex Scotia Reducem alloquitur.

Adventu recreata tuo (Rex alme) benigno,
Proventu foveor non minùs ipsa tuo.
Ergo sit incolumis mea gloria, rege *Iacobo*,
Quam saluam æternâ prole *Iacobe* dabis.

IOH. HARMAR, *in Art. Mag. Coll. Magd.*

Cæſa-

CÆsaris Actiacas aspectus terruit oras
Desine mirari, Cæsaris iste fuit.
Propitio qualem dixerunt numine Divum?
Terribilem? tales credimus esse deos?
Dicere te quod nam, pietas, Rex inclyte, numen?
Augusti saltem nomine, tuta jubet:
Cujus ab aspectu recreamur vbiq; refecti,
Solis vt exortu, quàm sumus ecce tuo?
Cumq; facit Divum clementia, crede monarcha
Divisam hanc summo cum Jove noster habet.

Aspice venturo lætentur vt omnia sæclo,
Rege, velim, prior est ἄνωθεν ille λόγος:
Aspice, lætentur sæclo hoc magis, vtpote regem
Quæ ventura, dabunt sæcula nulla parem.

Quam pia, nil aliud, proh te dolet esse remotum
Scotia, sat partu terra beata tuo.
Nosq; fruenda bonum, mage, persentiscimus, & nos
Optamus potius quam caruisse, frui.
Dicimur hinc *minimâ contenti nocte Britanni,* Ad Scotiam.
Quod tantâ fruimur luce, fruendo tuâ.

Anglia, læta magis vox est, sibi reddita quod sit
Præside te, quàm quod Cæsare, Roma sibi est.
Vox diversa sonat, populorum vox tamen vna est, Ad epigra. 2. lib. 1. Martial.
Quod gratus populo diceris esse pater.

Vnusquisque suam complet dulcedine mentem,
Comprimit affectum nemo silendo suum;
Alter amore loqui petit, alter amore tacebit,
Non minor hic tacitus, non minor iste loquens.

At gaudere ſilet, *careat ſucceſſibus, opto.*
Quiſquis ab adventu, ſumme Monarcha, tuo.

GVLIEL. STAFFORD *ex Æde Chriſti.*

GRatior Eöis, veniens eſt Phœbus ab oris
Occiduo quam cum mergitur ille freto.
Infert tum tenebras, tenebras tũ diſſipat atras:
Splendida lux tenebris gratior eſſe ſolet.
Anglia ſit mundus cui lumen præbet Apollo,
Hic ſolium Phœbi, hic Regia ſolis erit.
Heu quantâ tectus fuit hic caligine mundus
Quùm nobis lumen ſuſtulit ille ſuum!
Quam cito pro tenebris ſit lucida Scotia ſpiſſis?
Quam cito pro luce eſt Anglia facta; Σχότος?
Parce precor tenebras noſtris inducere terris,
Jam repetas curſum noſter Apollo tuum.
Sis memor ipſe tui noſtro nec defice mundo;
Deſiêſti nimium jam Phaetonta tuum.
Fallor an incipiunt tenebræ evaneſcere noſtræ,
Nubibus & pulſis candidus ire dies.
Phœbus adeſt, tenebris quãta eſt lux noſtra remotis?
Signa Deum noſco per ſua, Phœbus adeſt.
Jlla nobis nitidus ſolis prænuncius orti
Adfert admiſſis Lucifer albus equis.

RO. LANGFORD. *è Coll. Nov. Soc.*

QVis neget ardentem Regali in pectore flammã:
Et deſiderium corde latere pium?

Cùm

Cùm te delectet patriæ vel fumus: & ipſam
Vt videas tantùm, tædia longa putas.
Non opus vlteriùs terras vnire Britannûm:
Vniſti hâc vnâ (Magne *Iacobe*) viâ.

Ad Regem Epigramma.

Tu minimum debes, ſterilis ſeptentrio, famæ:
Quæ negat ex Boreâ poſſe venire bonum;
Sed cùm Te dederat: fatui proverbia vulgi
Protinùs emeritam, dedidicêre, fidem.

ROB. KING, *Art. Bac. ex Æde Chriſti.*

In Ieſuitas

ITe procul falſò jactantes nomen Iëſu
Inficient noſtrum veſtra venena gregem?
Dirâ locuſtarum Stygijs crucietur in vndis
Peſtis; & * Abaddon, nam potis, eripiat. Apoc. 9. 11.
Impia Miſſa, leves nugæ, venduntur, & auro
Abluitur crimen, quàm pietate, magis.
Sumere qui vellent Italáſve extrudere merces
Non meruêre pari ſorte perire ſimul?
Regia majeſtas geſtire Britannica ſuadet
Corda, vel invito te, * Crocodile facer. Ieſuita.
Emittat Bullas, non mittere Papa ſalutem
Poſſit: & hæ Bullæ, quid niſi bulla, tuæ?
Incidat in laqueos auceps quos fecerit ipſe:
Sceptrifero latè ſit via tuta meo.

HEN. GERING, *Art. Bac. C. C. C.*

Prosopopœia Angliæ ad Scotiam.

ALma soror (tales etenim jam sentio amores
Gratia quam meritis est minor vlla tuis?
Ipsa tibi infælix, alijs fælicior ipsa es
(Numquid ita in proprios sævus habetur amor?)
Bis modo supremum, rursus viduata, Parentem
Bis refero acceptum Scotia magna tibi.

Anglia quæ Regem, nec non Academia Numen
Hactenus è proprio est questa abijsse loco:
Vtraq; sollicitas deponit pectore Curas
Illa suum Regem, dum videt, illa Deum.

TH. CRANE, *Art. Bac. Nov. Coll. Soc.*

HInc, hinc Pierides meate, turba
Quondam Pierides benigna nobis;
At nunc qui dedit vngulâ liquorem,
Huc, huc Pierides migret caballus:
Aut si non veniat semel vocatus,
Sis solus mihi Mercuri precandus,
Gratus prepete Mercuri volatu.
Tu pigras potes excitare Musas
Tu corpus potes excitare pennis;
Sic regem canet, & canendo, regem
Iô Musa suo videbit ore,
Iô si videat beata Musa.
Dignos Icare proh tuos volatus,
Vndis Icare vel tuis petendos,
His, quicunq; cupit, ruitq; pennis,
Dum Princeps reditus tuos moratur;

Non

Non vnquam meliùs cadat volando
Non vnquam meliùs cadat videndo.
Jam raras hominum preces deorum
Condonat genitor, piasq; fraudes;
Sacratos sibi debitosq; ritus
Nostro, dum videt additos Tonanti.
Ingensq; attonitas Atlantis aures
Pertingit sonitus; caputeq; flectens,
Non se numina sustinere credit,
Credit numina jam tenere terras.
O tandem subeat corona divúm,
Et mortalibus imputent honores,
Dum cœlum stupet, invidetq; terris,
Et quos protegeret viros, adorat.

CARRVS STOCKWELL, *A.B. ex Æde Chr.*

Summe pater Patriæ, cujus vestigia pompæ
Finibus extremis incubuere poli, (no,
Quàm meritò coleris seu *Phœbus* in orbe *Britan-*
Per quem anni series ingeniosa fuit:
Scotis ver gratum, sed nobis gratior æstas,
Illis flos, nobis gloria messis, eris.
Quæ frondens arbor Te discedente virebat,
Speratos fructus, Te redeunte, dedit:
Nec tibi sunt steriles *Musæ*, tibi virgo *Thalia*
Quos lætæ fœtus dat pietatis, habe.

O Princeps, tibi, cui repente vere
Scotorum libuit videre terras,
Autumnum & reditu beare nostrum,
Autumni redeant, eantq; multi.

M. BENET, *Art. Bac. ex Æde Chr.*

Faciam eos in Gentem vnam.

SCotia quem cæpit, præsentem sensimus Angli;
Anglia quem recipit Scotia fida tenet:
Nempe Britannorum Rex est, nec defuit illis,
Anglia sive illum, Scotia sive tulit.

Præsenti multis Regi mens omnibus vna est,
Qui sponsam absenti non tenuerè fidem:
Hoc meritò metuant, quos mens malè perfida vexat,
Nos tanto pietas liberat Angla metu.
Vnam Regis alit nobis absentia litem,
Vtri hodiè reditus gratior ejus erit.
Vnanimem hanc pugnam, Pax verè nostra, remittas;
En aliàs concors Anglia tota tua est.

IOH. MORE *in Art. Bac. N. C. S.*

PEleidæ, quondam Sygæo in littore bustum
Pellæi juvenis fertur adisse gemens;
Illicò suspiciens complosis æthera palmis,
Justa velut faceret, manibus ista refert.
O te fœlicem (Troum expugnator *Achilles*)
Mæonius cecinit quòd tua bella senex.
Mente potens vates, nam tantum prorsus *Achillem*,
Ingenio quantum præstitit, ipse facit.
Sed quia Meæonij non Carminis alite versus
Fit mihi, musa silet, non magis ausa loqui.
Nam decet, idq; mei ne crimine Carminis esset,
Tantula fama tibi, quantula musa mihi.

BENEDICT. WEBB. *Art. Bac. C. C. C.*

Hora

HOra coronandæ præbens redimicula fronti.
Lautitias, ludos, fercula, regna dedit.
Quæ reducem excepit non infælicior hora,
Non habet infælix, quæ tibi dona ferat.
Quod dederat fuit ante tuum, quæcunq; datura est
Munera, sunt ejus mutuò, iure tua:
Ecce tuum, simile tibi, nostrum munus, lülum;
Accipe dilectæ conjugis ora tuæ.
Cum tua sint artes, hæres, nos, copia, regnum,
Mirandum non est, si tua sola damus.

GVIL. SHERBORNE, *Art. Bac. Iohannensis.*

OCto Scoti lustris te fermè habuere, *Iacobe*;
Et lustris Angli te tenuere tribus.
Ecce tamẽ Scotiam (tanta est tua cura) revisis,
Et Regem gaudet visa videre suum.
At tandem reducem te conspicit Anglia fælix,
Nam curæ æquali gens fuit Angla tibi.
Finibus his lustra ô percurras octo, priusquam
A nobis libeat denuò abesse procul.

IOH. GOODWIN. *Art. Bac. ex Æde Christi.*

QVid facis o demens? cur stultè vincula rumpis,
Et te protrudis nescia Musa tui?
Non capiunt arbusta Jovem, sterilesq; Myricæ,
Cæsare, nec quævis tibia, digna refert;
Sit tibi sufficiens colere, & sint carmina vota;
Non cuivis liceat dicere, Cæsar ave.

IOH. SMITH, *Art. Bac. Iohannensis.*

ALI

ALTARE
Iovi ſoſpitali &
ἀπαγωγῷ
SACRVM
Dicolos dodecaſtrophos

Hunc ornet cumulum Pernaſſus cęſpite vivo,
Muſcus & ex vndis Heliconis raptus amænis
Cingat odorato tua ſacra altaria nexu.
Venit Arctoïs etenim ſoluta
Lux,& optatum decus,vſq; terris.
Dũq; rorãtes remeans ad auſtros
Phœbus autumni minuit calores,
Lumen accedit melius, diúq;
Non receſſuro radiabit igne.
Ergo Jovis proles, Muſæ, redimite coronis
Tempora glandiferis, poſitâ pro tempore lauro,
Et Tutelari profundite carmina Divo.

THO. HARRISON *Art. Bac. è Coll. Iohannenſis.*

CArminis Autumnus Numen,dedit eſſe Poetã
Quemlibet invitum,nec ſinè more novo.
Non fingit,Muſas non invocat,aut Helicona
Ebrius evadens indè Poeta bibit:
Gaudia ſuppeditant artem redeuntia,Muſam
Accendit pietas,ingeniumq; fides.

GVL. BENET *in Art. Bac. ex Æde Chriſti.*

NOn ſic afficiunt bona nos, quę ſempèr habemus.
Vis aliquid verè noſſe?carendo ſcias;
Eſto;

Esto; absit modicum; quæ cura, angustia mentes
Vexat? & absentis pollidet æger amor?
Hoccine, te, Princeps, nos, Magne, relinquere, fecit?
Et populum orbatum deseruisse tuum?
Vltrò quidèm, & sponte hoc, te, nos fecisse, putamus,
Vt crescat populi zelus, amorq; tui.
Et crescit; nec mente; parùm est; trogà confluit omnis,
Et quasi te Regem gestit habere novum.

GVIL. KINGE *generosus ex Æde Christi.*

(SI qua fides) Phœbum sequitur sua turba novena
Nec possunt Musæ, si absit Apollo, loqui:
Te veteres repetente Lares, quæ Musa relicta
Vt tibi, sic comes est Musa profecta, viæ (est?
Nec potuere viâ; gelidis Aquilonis in oris
Nec voluere, loqui: quæ data causa putas?
Sedibus à proprijs extorris,, nata sub Austro,
Quid valet in gelidis Anglica Musa iugis?
Te redeunte, redit, Zephyrus tibi gratus & illi.
Vtq; tibi, Musis sic nova vita data est,
Sede suâ gaudent, gaude & Rex maxime; sitq;
Quæ sedes Musis optima, sola tibi.

PHILIP. KING, *ex Æde Chr. Generosus.*

QVæ reducem refert Regem lux illa beata est,
Perpetuus nobis sit (precor) ille dies.
Sol decus est cœli, sol princeps ætheris; vndis
Qui licet immersus mane refulget humo:

Rex decus eſt regni, rex regni primus habetur
Qui licet ad Scotos permeet, inde redit.

ED. HOLT, *Baronetti fil. nat. max. ex Aul. Cerv.*

Anglia Scotiam alloquitur, de duobus illis temporibus, in quibus Rex finus ſuos intravit, olim Vere nunc Autumno.

VEre ac *Autumno* regem mihi, Scotia, tradis,
Tunc flores, fructus nunc dabis ipſa tuos.

Menſe Martio Sereniſſimus Rex iter ſuſcepit, Auguſti menſe rediit.

Mars præerat menſi, quo rex diſceſſit, & ille
Quo redit, Auguſti nomine, nomen habet.
Mars atq; Auguſtus tibi (Rex preclare) favebant,
Et Deus, & Princeps teq; tuoſq; beat.

Scotia ter fælix Regem vidiſſe cupivit,
Anglia preſentem ſemper habere cupit.
Illi ſufficiat, Regem vidiſſe potentem,
Sit decus hoc noſtrum, Rege potente frui.

HEN. RAINSFORD, *Equit. aurati fil. ex aul. Cerv.*

LVx noſtra eſt tecum, ſine te nox atra; dieſq;
Te fugiente, fugit, te redeunte redit.
Progreſſum fateor multùm placuiſſe, ſed opto
Regreſſum nobis poſſe placere magis.
Scotia ter fælix, fælicior Anglia, Regem
Hæc in ſe ſemper poſſidet, illa ſemel.

FRAN. RAINSFORD, *Equit. aur. fil. ex Aul. Cerv.*

QVod DEVS in Mundo est, Anima est in Corpore,
REXq; suis: Replet Singula regna sua. (Regnis
Orbe vtroq; DEVS regnat, sed clarius Orbe
Supremo illucent numina summa Dei.
Corporis atq; Anima est totos diffusa per artus:
Membra tamen Lustrans singula, Corde Sedet.
Imperium agnoscunt sic *Scotia* & ANGLIA REGIS:
Rex Illam invisit nuper, at *Hic* Habitat.
REX, ANIMA, atq; DEVS redeunt: quæ gaudia, credas,
Dum redeunt, referunt REX, ANIMA, atq; DEVS?

SEBAST. GOODE *gener. ex Æde Christi.*

VT solet interdū tenebris Sol linquere cœlum,
Et Mars tùm præsunt, Diváq; Luna polo:
Sic Boream versus cessit cum sole *Iacobus*,
Noxq; gravis nobis inde timenda fuit;
Ni colluxissent *Carolus*, Reginaq; mater,
Qui pro *Iacobo* Rege, dedere diem:
Sed, Phœbo redeunte, redit *Iacobus* ad Austrum,
Et triplici fœlix Anglia luce nitet:
Omne caput læta cingatur fronde, cadatq;
Ante aras omni victima cæsa manu.

GVI. HANCOCK *Armig. filius C.C.C.*

QVæ prius, vt catulo lactante orbata leæna,
Curia consilijs luxerat orba suis;
Lętatur, currus dum pervolat, axe citato,
Flaminiam hanc, turmâ concomitante, viã:
At lætata satis, quid gaudia nostra moratur?
Scotia, venturo Cæsare, redde diem.

IO. ROWLAND *C.C.C.*

PHœbus Horizontẽ noſter cùm linqueret Anglos,
Anglia quàm *Scotiæ* nomine digna fuit!
Vt rediit, radijſq; ſuis vt reddidit Anglis,
Anglia quàm *Albionis* nomine digna frui!

THO. PORTER è *Coll. Wad.*

ECce novus Arctoæ Titan caput extulit vndis
Tiedæ, & iam, Scotico ſurgit ab axe Dies.
Pictica venturo procumbunt mœnia; murum
Et per Cæſareum, ſcindere gaudet iter.
Sic Britonum peragas alternis curribus Orbem,
Sentiat & radios vtraque Terra tuos.

Anagramma.

IACOBVS STEWART Monarcha.
Hic rura, ac Suos Autumno beat.

Credo eadem labris immulſerit vbera Capra,
Quæ ſummi Nutrix dicitur eſſe Iovis;
Κέρας Ἀμάλθειας. Scilicet Autumnum tecum prædivite Cornu
Talibus & cunis præmia digna, trahis.

ROB. HEGG *C.C.C. Alumnus.*

In menſes: Iulium, quò prima reditus Regij ſpes & fama; Auguſtum, quô ipſe reditus.

LAnguida Roma diû & juſto privata tyranno,
Imperium Faſces dum tenuere, fuit.
Primus in antiquam certamq; reducere formã
[a] *Iulius* incepit: ſpem dedit, & perijt.

[a] Cæſar.

Vltor

Vltor successorq; dehinc [a] *Augustus* habetur, [a] Cæsar.
Reddidit optatum qui tibi Roma Ducem.
Nominibus quis non credat latuisse sub istis
Omen, & hæc vires verba habuisse suas?
Anglia, præsentem quæ te spectare solebat,
Iam caruit Lunis, Rex Iacobe, tribus.
Felix de reditû certissime nuntie [b] *Iuli*, [b] Mensis.
[b] *Augusto* cedas tu tamen, ille dedit. [b] Mensi.

Ἀγγλία καυχᾶσθαι δακρύει περίλυπος ἀδέλφη,
Αὐτὸς δ' ἀμφοτέρης ἄιτιον ἐστὶ πατὴρ.
Θαυμάζεις; ἐστὶ χαρίεσσα παρουσία παῖδος,
Ἡ μὲν ἐκεῖνον ἔχει, ἡ δὲ παρόντα βλέπει

L'Anglois à Phœbus.

* *Ne vois-tu pas, Phœbus, tout ici triompher?* * L'Angl.
Ne vois-tu pas de ioie tout ici sonner?
Comment les vns accourent r'encontrer ce grand Prince,
Les autres l'attirer taschent dans leur Province?
Tous taschants à monstrer l'honneur grand qu'ilz lui doi
Amour aussi de luy pour paiement recoivent. (*bvent,*
Et toy seul, Front dorè, *ne t'estendras tu pas?*
La venuë du Roy toy seul n'embrasseras?
Ains, au lieu d'aux Anglois te monstrer à tousiours,
Vas-tu de plus en plus accourcissant les iours?
* *Il est vray: mais ce n'est que pour lui donner place.* * Phœb.
Car pourqui vouldrois-tu qu'ici ie demeurasse,
Veu que ià m'attendent tant de lieux tenebreux?
Mais quant à vous vous estes maintesfois heureux.
Qui, aiants vn Soleil propre en vostre Angleterre,
Vous fascher ne debvez, moy laissant vostre terre.

MERICVS CASAVBONVS, *Æd: Chr. alum.*

ATtonita, mundi, lætaq; vt vidit patrem
Gentibus honorem prætulit reliquis suum
Plausitq; sorti Scotia, cui tantum Deum
Datum est videre, quem colunt, qui non vident.

Absentem revocare diu conata *Iacobum*
Musa, diu precibus defuit ille meis
Sæpius alme fave, redealq; beatius, inquit
Vixq; valet tantæ tædia ferre moræ.
Sed quem non revoces, hunc tandem *Musa* salutes
Quæq; *fane* dixit jam, modo dicat *Ave*.

Desine lætitiam seriebus dicere longis
Profusoq; nimis carmine *Musa tuum*.
Latius excedant aliæ nec n *lætius* vllæ
Et mea dum loquitur paucula, multa stupet.

ZOVCH TOWNLEY, Æde Chr. Alum.

PRo reditu vestro, parvo (Rex magne) libello
Lætitiam ostentat quisq; Poeta suam.
Et multam paucis ostendo versibus ipse
Lætitiam, sed non ipse Poeta, meam.
Hâc in lætitiâ non est opus esse poetam,
Quæ non, etsi artem non habet, arte caret.

IOAN. PINCHON, *Equitis fil. ex Aulâ Cerv.*

TAm citò quod *Scoticis* nobis *Iacobus* ab oris
Se dederat, patrium deserat atq; solum;
Scilicet hęc causa est, quod nec nos rege carere
Possumus, & non vult ille carere suis.

BARTH. MAN *C. C. C.*

DVm numerat reditus promiſſas *Anglia* noctes,
Anxia ſollicitos enumeratq; dies:
Noctes ire putat jam tardiùs *Herculeanis*,
Et *Phaetontæis* tardiùs ire dies.

Dum te miratrix redeuntem (*maxime Regum*)
Vicinis *Tuedæ* turba ſalutat agris
Et pedibus tellus defecit, & vnda carinis,
Nec votis cœlum, aut plauſibus aura fuit.
Vidiſti ſtudium Populorum: iamq; *Iacobe*
An patria exul eras neſcio, an hæc patria eſt?

Ad *Lapidem propheticum, Weſtmonaſt. qui regis ſolium ſuffulcit.*

Pignus regalis reditus, puluinar *Iacob*,
Augurium imperij, *Palladiumq;*, *Lapis*,
Fatalem retrahat tua vis adamantina regem,
Fac *Cathedræ* poſthàc hæreat ille tuæ.

GEORG. MORLY. *ex Æde Chriſti. Alumn.*

PRÆlia bis quinis annis celebrare peracta
Graium ſufficiens, vnus Homerus erat.
Mille tuum reditum certant celebrare poetæ,
Et ſubito fieri quiſq; poeta velit.
Καῖρε (olim) Cæſar, gaudebat dicere corvus;
Jam gaudet Cæſar dicere Καῖρε tibi.

ROB. CÆSAR, *Reginenſ.*

QVas modo votivas tendebat ad æthera palmas,
Jam dabit in plauſus Anglia tota, ſuas.
Te reditumq; tuum canet, edomitoſq; furores,
Schiſmatis extinctas non tacitura faces.

Et quod in auguſtis ſplendet ſuper omnia, factis.
Vſq; tuum in clerum munus & vſq; crepet
Aucta ſimul decimâ per te ſtipendia ſorte,
Vſq; Levitarum cœtus & vſq: canet.
O qui ſic purgat, fœcundat & omnia luſtrat,
Æternum peragat, Phœbus Ephebus iter.

IOH. LANGLEY *Civil. N. C.S.*

IVſcula, mala Jovi dat Baucis, ligna Philemon:
Nos damus aſt aras, thuſcula, vota, focum.

IOH: STREATING, *Art. Mag. Coll. Linc:*

Ad Forthi fluvij Panegyr:

FOrthe quid exultas? fluvios quid cõgeris omnes?
Iacobum vt miſtis excipiatis aquis?
Exilis nimis es, tenuis nimis alveus, aulam
Iacobi & proceres qui ſimul excipiàs.
Hoc ſtudium Thameſis jactat qui mille carinas,
Et tam celſa ſuis mœnia cingit aquis.
Deſine quod reliquum eſt, tenuis non ſufficit vnda,
Non capit Auguſtum Mantua, Roma capit.

FRAN. LANCASTER, *Art. Mag. ex Æde Chr.*

ABſentis, quam longa Boni præſentia, nobis
Gratior eſt reditus: Dulcè *Redire ſonat*,
Suavior Autumnus votis reſpondet avari
Agricolæ, quam ſi ſemper ariſta foret.
Ni vinciret hyems glaciali compede terram,
Quis cuperet flores Vere redire ſuo?

Ni

Nî tenebræ, non Te reputares luce beatum;
Lætum nox reditum Solis opaca facit.
Præstita sunt reditu nobis hæc omnia Regis:
Hic nobis Sol, Ver, Messis, & omne Bonum.
Sic maneatq; , vices pergant dum Messis, & Herba
Mutare, & cursus Sol renovare suos.

GVIL. FERNE *Art. Mag.*

VErbis & vultu, votis & carmine, certat
Vt sua testetur gaudia quisque prior.
Insignis lucta hæc pietatis, nobilis ardor,
Certamen fœlix, nemo vbi victor adest;
Cùm neque qui cedat, nec sit qui vincere possit:
Discordes videas, vnanimesq; simul.
Solicitos lætosq;, redux & prævia fama,
Attentos eadem reddit & attonitos.
Quæ ratio? tardi soles; & gaudia tollit
Phæbus, dùm differt, dùm fugitiva facit.
Serus ades nobis, redeas vel nocte, *Iacobe*,
Lucebit nobis, Te redeunte, dies.

IOH. GERARD, *Art. Mag. ex Æde Chr.*

SI Sol discedens crescentes duplicet vmbras,
Dicite, qualis erat, Rege abeunte, Dies,
Quale σκότος potiùs, quales nox intulit vmbras;
Cimmerius, populus qui fuit Anglus, erat.
Falsum illud, *Minimâ contenti nocte Britanni*,
Cùm nox durârit mensibus vna tribus.
Axis vterq; suas sedes vertêre priores,
Auster erat Boreas, Anglia Scota fuit;
Te redeunte redit (Rex) ordo, revolvitur axis,
Et fruimur proprio Sole, Dieq; Tuo.

RIC. AMYE, *S.T.Bac. Exon. Coll. Soc.*

QVorsum paratis seduli vates nimis
Extruere tantam carminum molem? libro
Non indigemus; sed silentio, optimos
Facit ille versus, cujus invasit stupor
Inventionem, atq; impedit vocis sonum.
Silere tantis gaudijs est scribere.
Habenda pietas igitur, & frugalitas
Parsisse chartæ; Musa, plebeiæ, silet,
Et conticescit victa, lætitiæ novâ
Ovatione, carminis vires mei
Superante: stricto genere scribendi leves
Res continentur, ista mensuram pedum
Rigidasq; leges vatis excedit, novo
Dicenda more; concipi solum potest,
Non personari; namq; longè grandior
Omni cothurno est, & dari nullum potest,
Aut fingi epitheton, impleat mundū licèt,
Capax *Iacobi*, sive nostri gaudij.

GEOR. GILLINGHAM *in Art. Mag. ex Aula Lat.*

* *Hen. septimi.*
* *Consiliarii Regis metuebant ne ex illis Margaretæ nuptijs accessio aliqua daretur fieret Angliæ ad Scotiam. Quibus Rex, Id non est metuendum, quia minus maiori solet accrescere tanquã rivulus ad fotẽ. Polyd. l. 26. Ros. in Iacob. 4.*

NVnc *Atavi* * video quàm sit sententia vera
(*O Rex Magne*) Tui; Scotia quòd reditum
Fælicem Regis tanti concesserit Anglis;
Sic non maiorem sorbuit vnda * *minor*;
Nec Scotis Anglos jungis, sed fœdere in vno
Conjungis populum, & nomine, vtrumq; tuum.
Hospite Te Scotus gaudet, Te sospite at Anglus,
Nempe Tui est illis vnus & æquus amor.
Namq; Tuo vultu nos, iste beatior ortu est;
Fœlices tanto munere Vterq; sumus.

GVIL. CAPE, *S.T.B. Col. Reg.*

GRamina dũ marcent, & lucidus orbis ocellus
Visitat infirmũ tremulantem frigore Caprũ,
Sol patriæ redijt nostri orbis Clarus Ocellus,
Et repetens Cancrum tremulos nos lumine mulcet.
Dum florem Campus, fructum dum parturit arbos,
Non tenebræ hunc oculũ obscurent, solemvè *Iacobũ*.

THO. CÆSAR *è Col. Reg.*

SCotica, Rex anglûm, Scotûm Rex, Anglica regna
Permeat; & nullo sanguine sœdat iter.
Non oculis lachrymam, (victricib' ante frequẽ-(tem
Fæmineis missam, Scota vel Angla videt
Hoc, genti altervtri, vates qui dixerat olim
Vaniloquus, mendax, & malè sanus, erat.
Hæc nova, priscorum, si fortè ferantur, ad vmbras,
Quos dederant Belli mutua fata neci,
Aurea lætantes hæc sæcla nepotibus orta,
Post fera, jam discent, prælia, pace frui.
Pax tibi, quam vivis, quam præstas lumine cassis,
Longa super terras; sit sine fine quies.

TH. IACSON, *S.T.B. & C.C.C. Soc.*

VBi arma Scotis, milites armati vbi?
Vbi prisca virtus nota vicinis nimis?
Vident vt exteri imminent terris suis?
Vident vt Anglus inferat passim gradum?
Quid hic triumphi, quid choreæ, quid lyræ,
Quid mutui amplexus, salutes mutuæ,
Et, quis pius fiat magis, pugnax amor?
Tu manibus arma, cordibusq; odia excutis,
Tu, dîe Princeps, bellicosa pectora
Amoris insolubili nodo alligas.

Ergo duobus Rex bonis vnus bonus
Quantò Britannos auſpicatior regit?

Tam citò vitalis vix luſtrat ſpiritus artus,
Quàm citò regna vnus Tu duo ſoſpes adis.
Quæ nullo diſtant diſcrimine, non duo poſthac,
Nec ſint vna Tibi regna, ſed vna domus.

Audivit, exaudivit en vnctum ſuum,
Populumq; Pierideſq; cœlitum pater:
Reducemq;, ſoſpitemq; principem ſuum
Belloſitum videre avebat, & videt.
Belloſitum Rex moribus cultum probis
Atq; artibus videre avebat, & videt.

Non hic percitus orgijs Lyæi
Occurrit reduci Tibi poeta
Exhalans cerebro madente carmen;
Tu nobis Helicona temperaſti,
Tu Muſis genium modeſtiorem,
Tu Muſis genium venuſtiorem
Dignis principe legibus dediſti.

Semper magna fuit, nunc maxima fit Tua virtus
Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.
Noſſe parum eſt; notos vnire, fovere, beare,
Iſta quidem virtus maxima, & iſta Tua eſt.

ROBERTVS PINKE. *Novi Coll. Cuſtos.*

Rex

REx redijt noſtras, Chriſto Duce, ſoſpes ad oras,
Et ſteterit, Chriſti numine, certa ſalus.
Ergo quid Huic opus eſt medico? Quin (maxime Re-
Noſtra, licèt nolis Pharmaca, Carmen habe. (gũ)
Hoc orat pro Te Medicus, quicunq; Poëta eſt,
Sit Medicus rarus: ſitq; Poëta frequens.

THO. IOHNSON *M. D.*

Ad Reginam.

C*Oniuge* eges *Coniux*; Muſæ caruere *Patrono*.
Cum Muſis Tibi ſit fas doluiſſe: Doles.
Cynthia juncta Tuo Phœbo lucebis in ævum,
Woodſtochie nullam ducit *Eclipſin*: Ave.
Sic Muſis Fautor *Rex* fiet ſolus *Apollo*:
Sic fælix Muſis ſola *Minerva* fores.

Sola fores? vt *Sola* ſies, Tibi Scotia clamat:
Sed, ne *Sola* ſies, Terra dat Angla Tibi.

Carolus ad Scotiam
Pro Patre, Filius.

A *Patre* ad *Natum* ſit certa *Relatio*: Scotum,
Anglicolæ Nato (Scotia) redde Patrem.

De variis hoc anno Eclipſibus; quarum
vltima, ſexto die Auguſti.

Præterijt Magnos Mutatio Quinta Planetas.
Nullam, qui ſupereſt Annus, Eclipſin habet.

Rex diſceſſit Menſe Martio, redijt Auguſto.
Beati Pacifici.

Pacificum Pacis Sedi *Mars* abſtulit: Illum
Auguſtus retulit. Jano ſic Janua clauſa eſt.

Regina, Regi Reduci.

Quæ Bona ſunt, didici (Conjux dilecte) *carendo*:
Quæ Bona ſunt, noſcam quò magis Ipſa, *fruar*.

Ad Reginam.

Ode Conſolatoria.

O Regina, nimis quæ lachrymis potens,
Tanto orbata *Viro*, ſollicitudine
Noctes, & miſeræ mæſtitiæ datos
Conſûmpſti Lachrymis Dies,
Audi quo ſtrepitu nunc Aquilo ferus
Diffregit *Reduci* difficiles fores.
Audi quo ſtrepitu *Pierides* Jovem
Clamant retrogradum *Deæ*.
Hîc, hîc nunc Lachrymis ſit modus; omnis &
Nunc cedat Violæ Pallor; & ampliùs
Nec ſuſpiria, nec ficta pericula
Cordi dent tremulum Diem.
Frons *Regi*, videas, quàm parilis manet,
Quàm par auſpicijs Fama prioribus,
Quàm Mens Imperio congrua Regio,
Quàm par Conjugio Fides.
Succedant veteri Jubila Luctui:
Areſcant Lachrymæ: totus & exulet
(Proh conventibus his oppoſitus nimis!)
Notus, vel tacitus *Dolor*.
Ecce, ecce vt Nemorũ *Woodſtochie* Comas
Oſtentat, timidos & Pecudum greges;
Venatorq, frequens vt viridi Togâ inſtructus prodit, & arcubus.

Hinc

Hinc Cornu; hinc So ho ho transvolat Aëra:
Et latratibus his admoneor Canum
Cervum (pinguia cui viscera turgeant)
Hostes effugere, vt cadat.
Hanc vecta in speculam curribus, aspice
Vt *Rex*, vt *Carolus* prosequitur feras:
Damæq;, in reditum *Principis*, vt leves
Se dispердere gestiunt.
Audin, quo *Interitum* concelebrent sono?
Accede vt *rubeant purpureæ Manus*.
Sola isthæc spolia, ac has modò Lachrymas
Fælix *Woodstochie* sciat.
Infami Domus vt sparsa * *Libidine*, * *Rosamunda.*
Mundo Ludibrium facta, sit vnicè
Hâc luce, His *Solidis* semper *Amoribus*
Seris nota nepotibus.

·ED: LAPWORTH. è *Col. Magd. M. D.*

ASpicis vt, motus trepidat quãdo omnis ab Arcto,
Vnus ab arctoo climate non trepidat?
Causa redux Rex est, cujus præsentia sola
Pectore ab australi pellit vbiq; metum.
O fœlix motus, summo cœloq; locandus,
Qui facis in terris talia φαινόμενα.

·SAMVEL RADECLIF *Princ. Col. Æneæ-Nasi.*

CÆsar Brytannus, arcticæ Virtus plagæ, &
Noti stupenda Vis suâ præsentiâ
Scotiam beavit: vt Angliam præsens beet
Redux fidelem Anglis in amplexum venit.
Quem Anglis Scotisq; servet incolumem Deus:
Vt amore juncti tùm Scoti, tùm Angli pio
Dicant vicissim sæpiùs, Gratus venis.

·IO. BANCROFTE *S. T. D. Col. Vniversitatis Magist.*

CONCLVSIO.

2. Sam. c. 19. *Quis poterit Tribuum lites componere? Regem*
Vult Jacob *esse suum*, Beniamin *esse suum.*
Quæq; Animo prima est: pedibus tamẽ adfuit una
Judæ *Gens, ortum sumpserat undè* David.
Ad nostras, dum Tu (Rex *summe*) *reverteris oras;*
Sume, precor, populi vota precesq; Tui.
Ecce Tibi accurrunt hinc millia, millia & illinc;
Pro modulo certat quisq; præire suo:
At Ziba *interea cum* Shimei, *longiùs absint;*
His sine, sat faustum (Cæsar) *habebis* Ave:
Adsit Mephibosheth *gratus*, Barzillaus *adsit;*
Hic quamvis senio tardior, ille pede:
Imò omnes adsint, Regni vel totius, Angli;
Nemo non certet, Primus vt esse queat:
Lucta quidem hæc esset Pietatis nobilis Anglis,
Ad Patrem *vt* Patriæ *quisq; præire velit:*
Vt certent omnes; gens Iudæa, Academia, *(cui Tu*
Mæcenas) nunquam, vt tardior adsit, erit:
Ortum hinc Tu ducis, Nos saltem ducimus à Te;
Tu vitam Musis, non Tibi Musa dedit.
Anglorum nemo poterit componere Lites:
Te Populus, Te vult Clericus esse Suum.
Per Te (Pacificum) *facile est subsidere lites:*
In Iudam, *in Musas, si Tibi perstet Amor.*

FINIS.